



**Examen accuratum disputationis primae & quasi inauguralis  
D. Gisberti Voetii, quam proposuit in Illustri Gymnasio  
Ultrajectino die 3. Sept. stylo vet. anno 1634, ad pastores  
totius Provinciae, & quoscumque theologiae studiosos ...**

<https://hdl.handle.net/1874/18779>

1634

*Examen accuratum.*

5

Disputationis primæ & quasi  
inauguralis

D. GISBERTI VOETII,

Quam proposuit in Illustri Gym.  
nasio Ultrajectino die 3. Sept. stylo  
vet. Anno 1634.

*Ad Pastores totius Provincie, & quoscumq;  
Theologie studiosos; quibus id utile & gratum  
suecum, si pietatem amant, dubi-  
tari non potest.*



ANNO DOMINI 1634.

## LECTORI S.

**G**ISBERTUS VOETIUS auspicium facturus Professionis Theologicæ, theatrum ingredi & suggestum concendere voluit *μελλῆς Φαντοσίας*. Crederes hominem ad jurgia natum, inter tubas lituosque enutritum, non ex imbellis Ecclesiæ Christi gremio, sed e ludo gladiatorio prodire, & fiducia virium erectum atque elatum in arenam descendere voluisse, ut cum quovis committeretur, Tyro an veteranus, Myrmillo an retarius, Threx an *παλλάξ* esset; Nempe intererat ut non ante doctrinæ quam famæ stadium ingredetur, nec pietatē & modestiam prius doceret, quam, quantus vir sit, intelligeretur. Amor laudis an singularitatis, quam modum a pietate inseparabilem esse vult, affectatio eum hoc impulerit, incertum est. Cum gloria sane non vincit, qui sine periculo vincit; nec ulli intelligunt, quanta sit viri virtus, quam qui vires ejus lacefendo senserunt. At Cupido ista gloriæ quæ per tam levia experimenta virtutis & scientiæ petitur, quam sit ingloria, eorum est judicare, quibus singularitas modestiæ atque humilitatis veluti modus a pietate inseparabilis, cordi est. Certè laudatam illam priscis asceticen, nedum eam quam tantopere commendat *Thomas a Kempis*, qua post Sacras literas nihil se vidisse simplicius, efficacius

cius aut divinus in genere ascetico & mystico profitetur ipse *Voetius*, neutquam præ se fert. Quod si quæ tamen in hoc certamine gloria est, en-tibi adversarium, qui cum *Voetio* in arenam descendere, & vires experiri non dubitat qua parte in Remonstrantes incurrit. Lusorij s armis non pugnat, sed decretorijs. Scripto agit, ut pugnæ spectatores & judices non habeat Tyrones & imberbes adhuc adolescentulos, nedum explosores Theologos, ubi jugulum caussæ petitum vident, sed Belgium totum & Christianos omnes, adeoque quotquot duellum hoc videre juvat, sine gratia, sine odio. Nempe non unius aut alterius horæ opus esse credidit, tam varias lites disceprare, tot accumulata præjudicia, *Quod libeta, Corollaria, paradoxa, ventilare*: Seculo pene opus est. Nec operæ-premium putasset committi cum puero, qui adhuc trivialem pulverem olet & rudibus vix dum batuere didicit, si mature satis libellos editos accepisset. Denique nec gloriæ nec veritati divinæ satisfactum credidisset, si intra privatos parietes & non in publico Christiani orbis theatro corā Sole Vicisset aut caussæ fiduciam ostendisset. Tu, *Letter*, specta & Vide an non undiquaque ad ictus & vulnera latus suum apertum præbeat *Voetius*, proque præmio affectatae eruditionis multifariæ, reportare mereatur, Pœnitentiam & pudorem. *Vale.*

5

Examen accuratum

Disputationis prima & quasi inauguralis

D.GISBERTI VOETII,

Quam proposuit in Illustri

Gymnasio Ultrajectino die 3. Sept.

stylo vet. Anno 1634.



Criduo post quam Disputationem hanc habuit *Gasbertus Voetius*, novus Theologæ Professor, traditæ mihi sunt ipsius Theses, idque eum in finem, ut quædam nominatio falsa, quæ inerant, adversus Remonstrantes confutarem propter viri immodestiam. Si contentus fuisse vel eruditionem suam vel diligentiam ea ratione commendare apud suos, qua fere solent alij, non magis ipsum privatim, quam alias, Remonstrantes sibi putarent esse refellendum; qui ex plurimis, quas sciunt proponi quotidie, Thesisbus adversariorum, nullas hactenus publice refutare conati sunt, nisi unas *Antonij Walci*, quod ipso titulo ad respondendum eos aperte satis coegerat: sed hic *Voetius* vehementia quidem & illum & omnes longe superavit, non tamen, ut confido ne demonstratum, sapientia. Cum ergo hoc animo pagel as leviter evolverem, fateor me primo aspectu nonnihil obstupuisse: tam nova, tam mira facies erat, tam dissimilis omnium, quæ ex nostratib. Academijs vel Scholis prodeunt. Assertiones ipsæ de Religionis præjudicijs parum abeunt, quin Prologum tantum constituant; Actus & Scenæ omnes consistunt in Corollarijs. Ibi se tam varia in oculo ingerunt eruditionis documenta, ut vel ex lolis titulis, Invidia ipsa cogatur Virum agnoscere Theologum Supernaturalem, Naturalim, Catecheticum & Liturgicum, Pneumatologicum, Propheticum, Practicum,

*Ecclesiasticum, Politicum, Philosophicum, Rheticum, Historicum ex antiquitate Ecclesiastica, Historicum ex S. Scriptura, Chronologicum, Genealogicum, Geographicum, Philologicum, Criticum.* Tum & legatur a'iquantula modo attentione , mox etiam *Hebraicum Biblicum, Rabbinicum & Orientalem, Masorethicum, Triplici-Cabalisticum, Syriacum & Arabicum.* Ne quis ergo miretur, cur tam gravem adversarium non reformatum, quid mihi , qui nunquam in *Contraremonstrantes* calumna strinxi , præter causæ veritatem animum augeat, dicam. Si *Votinus* professionem illam per multos sustinuisse annos, essetque usū ipso edoctus eas difficultates , quæ non nisi tractu temporis in quovis vivendi genere intelliguntur , minus videretur contemnendus : sed cum sit tiro , minoris est faciendus quam veterani , & fortasse uno aut altero congressu tam placidum reddam quam ovem. Titulos ejus omnes terriculamenta esse judico, vel ostentationem eruditionis ; cujus omnes thesauros , quamquam parum ad Theologiam & ad hoc certamen attinentes, superbe in apertum voluit proferre Theatrum , nihil moratus vel malevolos vel infirmios , quibus ea re movere posset ambitionis suspicionem. Licebat omnia particulatim, successu temporis per oblatas occasiones ad usum accommodare, si quem usum haberent: sed ei consultius vilum est in unum fasciculum omnia colligare ; & honesto titulo Thesum, velut inauguralium , Illustri ejus Reip. Magistratui , nec non totius Provintiae Pastoribus dedicare. Nimis bella erat occasio, qua non tantum Magistratui demonstraret, quam doctum Professorem habeant, sed & Pastoribus , quantum , quam animosum , quam acrem in super & incomparabilem Religionis Propugnatorem.

Ut hac dote se maxime commendet, animum heroicum, & quis veterano formidabiliorem sumit ; qui inusitata audacia ante vestibulum ipsarum Thesum, imo ante oculos, ut sic dicam, Consulm ac Senatorum , mox infra dedicationem , novo confidentiæ exempl'o in arenam provocat quarumcumque, sine exceptione ul' a, in Religione partium, cuijsunque conditionis studiosos & litteratos omnes : Nec id sufficit, nisi & medijs in Thesibus Thrasonice in adversarios omnes , nominatim in Remonstrantes iterata provocatione insurgat. Quæ fiducia non ex bonæ causæ aut diuinæ veritatis conscientia, sed præcipue illi ex arroganti & temeraria quadam præsumptione artis suæ Dialecticæ existit. Alioqui quoisum attinebat tot vanis

vanis & inutilibus questionibus, a quibus vel per conscientiam dehortari studiosos debebat, sua Corollaria exornare ? quorum partim Quodlibeta, partim Paradoxa, plus minus tristitia, infarcire ? Quodlibeta, credo, ut quivis agnoscat hominem confidentem, versipellem, distinctionibus ac strophis præmunitum, in utrumque paratura : Paradoxa, ut novatum opinionum affectatorem, & si liceret, doctorem potius in Religione quam discipulum futurum. quanquam & alicubi pro paradoxis posuit, quæ paradoxa non sunt, ut numerus cresceret ; vicissim alia vere paradoxa & perniciosa dogmata, inter vulgo receptas opiniones retulit, ut facilius incautis discipulorum animis instillarentur. Tantus in summa est amor disputandi, & libido gloriæ, ut nec ab amicis irritandis manus abstinere quiverit : suppresso enim nomine eos quoque perstringit, quasi præjudicijs indulgentes adversus Religionis veritatem, quibus non per omnia eadem est ministrorum æqualitas seu popularitas, nec ceremoniarum simplicitas ; cum illi tamen eo præjudicio non moveantur, ut a Reformata Ecclesia resiliant. Quin alicubi vel malignè vel impudenter etiam ipsos Theologij in Academia Leidensi Professores ridendos propinat. Cum enim Remonstrantes in Confessione sua sub finem cap. 19. dixissent. Fideles ex universalis totius Mundi (tunc omnino conflagraturi) corruptione, seu totali perditione, in æternas & gloriovas celorum sedes translatumiri, boni illi censores satis acriter economie & inclementer miseros tractarunt, quod audeant universalem totius Mundi corruptionem & totalem perditionem constitucere contra communem plororumque Theologorum consensum, qui ipsam hujus mundi substantiam non interituram sed a servitute corruptionis liberandam statuunt. Verba eorum sunt pag. 258. Censuræ, quibus addantur verba disputationis eorum ultimæ de consummatione seculi Thes. 57. in Synopsi eorum. Hic Voetus publice defendit Paradoxum esse, Mundum novissimo die non esse abolendum, sed mutandum & renovandum. itaque & citra necessitatem ullam Remonstrantes ab injusta censura vindicat, & ipsos Censores crassæ condemnat ignorantia, qui tam parum in Theologicorum librorum lectione versati essent ut id ipsum quod in communi est opinione, pro paradoxo falso & criminose traducant. Cum in tales ergo viros temeritas *Vætij* exorbitaverit, quis mirabitur eum subinde injurium fuisse in alios, quorum se juratum & subsignatum jam olim profesus est hostem ? præsertim

seruit cum is sit, qui omnes undique cavillandi anfas studiose conquirat, quare & in Juridicam messem ex obliquo falcam immissit; & Medicos pro Philosophica autoritate, ut qui omnia illorum scripta de Peste recte legerit, perpenderit, examinaverit, tanquam sub virgati & seruam revocat: Totum prætensum Pestis contagium per distans, & alterum per fomitem, magnam saltem partem ex ani i potius delirio, quam ex solida Philosophia desumptu videri, ut liceat medicis ab hoc novo Doctore veriores discere caulus, si in ejus disciplinam se tradant. Hæc tanta hominiis philautia facit, ut sperem multos, etiam aliqui minus mibi faventes, æquius de toto hoc meo scripto esse judicatuos, ut qui agnoscant facile evenerit potuisse, ut qua temeritate exorbitavit in atnimos, eadem peccaverit in adversarios.

Sed ne deliria ipsius, quæ plurima hic fese offerunt, inutiliter perseguamur, veniamus ad causam principalem: In prima disputationis parte, quæ agit de Prajudicijs veræ Religionis, postulabat quidem res ipsa, ut describeret quænam eslet vera Religio, & quam late pateret: sed nusquam id facit: tantum jactat pro Vera Religione, suam; quæ sua sit, non exponit: quin sic ambigue loquitur, ut videatur per eam Religionem intelligere, alias Ecclesiam, alias Doctrinam, alias utrumque complecti: Jam credas ei propositum esse benigne defendere omnes omnino Reformationis participes adversus Pontificiorum Catholicismum: jam mox a iō vela vertere, eadem plane ratione, qua Pontificij apud simplices semper in ore habent, se antiquam tueri Religionem quæ sola vera sit, iō a divinis miraculis comprobata, successione confirmata, & sola Catholica; nec proferunt interim sua Essentialia dogmata: item hic noster ingeminat suæ Religionis præconia, oclamat suam esse proprie Catholicam. Utinam ergo aperte indicasset ubi habeantur istius Catholicæ Religionis essentialies articuli, satis perspicue distincti ab alijs non essentialibus! Utinam vero, vel magis etiam, Catholicismum illum, quem jactat, ex veritate & antiquorum sensu explicasset. Si Catholicam esse Religionem existimat eam, quæ omnes Dei filios suo gremio complectitur, qui solo verbo divino S. Scripturæ nituntur, renati nou ex semine mortali sed ex immortali per sermonem Dei vivi & manentem in æternum (quos omnes Ecclesia Christiana primitus complexa fuit) quis intelliget Votij Religionem proprie Catholicam esse, quæ profiteri debet exposi-

expositionem Sacrae Scripturæ, non modo secundum Catechismi & Confessionis alicujus particularis tenorem, sed insuper ad pressiorem quandam Declarationem factam in Synodo Dordracena ? per quam cum Remonstrantes veræ Religionis adversarij sint declarati, tu *voeti*, ut eorum sententiam pro virili stabilias, congeffisti in has tuas Theses vel omnes, ut ego credo, vel saltēm præcipuos prætextus quibus illos potuisti vel oblique per alios, vel ipsos aperte, denigrare, atque in suspicionem adducere, quasi a iudiceant in Religione quam Religionem vel quasi præjudicijs meris agantur. Expendamus considerationes tuas.

Primum furiosam vocas *exprobationem* quicquid vobis obijcitur de Deo autore peccati. Solve ergo si potes perspicuè hoc argumentum. Si decreto irresistibili & infallibili Deus (quod absit) hominem prædestinat ad mortem, ergo etiam ad peccata: cum non alia ratione ad mortem perveniri possit æternam, nisi per peccatum solum, secundum illa verba, *stipendum peccati mors est*. Quare qui autor est decreti de morte, idem autor est decreti de peccato, nisi tu possis aliud medium ad damnationem ostendere, quam Scriptura Sacra. Scio vestrum nonnullos negare quod Deus homines ad mortem prædestinaverit; utuntur alia phrasē paulo mitiore, ut rem planam obscuram faciant: sed non est mihi crede controversia de dictiōne, quæ nostras conscientias turbat: non quiescit quantis per res ipsa camat, omnia mox in idem redire. Tum tu quoque non ignoras, non paucos esse, atque adeo vel præcipuos vestræ sententiæ patronos, qui diserte scriptum reliquerunt; *Homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in æternam mortem prædestinari*. Sed quid opus consequentias necesse ? cum scribant ipsi, peccatum etiam consideratum ut peccatum, quatenus ad gloriam Dei illustrandam, non suapte natura, sed bonitate Dei facit, eatenus peccatum & malum culpæ præordinatum esse a Deo. cum aiunt, *velle Deum, atque etiam efficere, ut impij in suis concupiscentijs vivant*; cum occulta ratione homines ad peccata a Deo impelli docent. Si hæc ab homine fierent, nemo dubitaret hunc esse peccati autorem: sunt enim phrasēs æquipollentes. verba dant, qui distinguunt. Quin omnia fateri videntur aperte quidam vestrum, qui dixerunt, adulterium aut homicidium esse Dei autoris, (nota phrasin) motoris, impulsoris opus, desperationis finalis occultam causam esse reprobationem.

*incredulitatem oriri ex decreto reprobationis. omnes peccatores vi voluntatis Dei facere quicquid faciunt.*

Porro cum doceatis insuper actualia peccata esse poenas originalis, quis est autor poenæ? Secundum Contraremonstrantes, Deus. Quid respondebitur? Fortasse autorem esse Deum non quatenus peccata sunt, sed quatenus sunt poenæ. Verba sunt iniuria: respectus rationalis non tollit rem ipsam, id est, non tollit quin ipsa poena sit peccatum. Ergo Deus auctor peccati: neclaret excipere Deum hæc efficere quæ mala sunt ad suam gloriam, quia non est faciendum malum, ut eveniat bonum.

Eodem jure vocas furiosam exprobationem alteram illam *de Deo simulatore.* 1. Peto ergo, ut ipse describas, non ex figmento cerebri tui, sed ex bonis autoribus, vel ex communni sermone, quid sit simulatio: ut videamus an illud ipsum non verissime ac propriissime Deo tribuatis. 2. Sit in exemplum illud Luce. 19. ubi Dominus cum fletu deplorat Hierosolymam addito, *O si scires & tu, vel hac tua die, quæ ad pacem tuam attineant! &c.* Quæero, si nihil erat quod ad pacem eorum attinebat, scilicet ad pacem cum Deo per Christum, an poterat sine simulatione optare, ut scirent id quod non esset? & mox etiam dolere sine simulatione, quod ea occulta essent ab oculis eorum, id est, quod ea ignorarent, quæ nulla essent? Si quem tecum vel sine lachrymis sic agere scires, mox simulatorem pleno animi consensu agnosceres. 3. Quæ ergo veneficia est quod in homine derelictaris, impudenter Deo tribuere? quod scelus est in homine, sanctitatem appellare in Deo?

Nulli mortalium licet habere duas voluntates, signi & beneplaciti &c. Ergo sine simulatione non possunt Deo tribui. Si dicas nobis interdici tales voluntates habere, Deo autem non interdicisti; itaque velis referre in censem eorum quæ Deus sibi servat: facile est refutare, quod nullam aliam ob causam hæc hominibus videntur, quam quod sit simulatio. Nam etsi non interdicteretur homini tamen vera simulatio esset, aut nulla simulatio esset in mundo. præterea, si rogem sub quo præcepto interdicatur homini duplex voluntas, non poteris aliud proferre, quam non esse mentiendum. Quare non potest simulatio tolli, si non verba ipsa Euangelij convenient cum occulta cogitatione Dei. unde argumentor, 4. Qui sic agit cum exosis, ac si sint illi charissimi, is simulat benevolentiā:

tiam : at cum reprobis sic agit Deus, ac si sint ipsi carissimi ; jubet enim his , non minus quam electis , anhunciarri gratiam & pacem &c. Vel sic. Qui jubet ipse ut singuli credant se esse electos , is verbo simulat eos electos esse. Sed ex vestra doctrina Deus jubet &c. E. manifesta est simulatio, & quidem omnium quae excogitari possunt pessima : quia, si vobis creditur, quanto magis benevolentiam verbo tenuis tantum oblatam hominibus respuerit, tanto gravius deinde punietur : imo tanto horribilior , quia statutis Deum non tantum verbo & sacramentis simulare id quod falso est, sed idem quoque & juramento in speciem stabilire . Ad hæc omnia vide, mi *Voteti*, ut proferas accuratas distinctiones, sed perspicuas ; alioquin videberis per convitum furiosos vocasse, quia tecum non insavimus.

Addit in eadem adhuc Thesi furiosam esse exprobrationem *de sublato naturali libero arbitrio*. Attende Lector. Quod antehac pro summo crimen Remonstrantibus intentarunt, jam ipsi pro laude affectant : *Votetus* publice defendit hominem liberum arbitrium habere , & furiosus audit, si quis ait alios non idem sentire cum ipso. Vos appello Contraremonstrantes miseri , quibus haecenus persuasissimum fuit, hoc vel summum & indubitatum inter vestros ac nostros esse discrimen , quod Remonstrantes liberi arbitrij essent patroni , Vos maximi oppugnatores. discite ergo a *Votio* a iter publice loqui , aliter etiam sentire, nisi tamen sub verborum obscuritate latibulum habet , quod vos non videtis , nec ego certe perspicio. Negat a suis tolli *naturale liberum arbitrium*: quid hoc verbi est ? an dicet , fuisse Adamo in statu innocentiae geminum liberum arbitrium? Id quidem e sacra Scriptura nunquam probabit : merum figmentum est ; Tum vero liberum arbitrium supernaturale homini sublatum esse , naturale autem remansisse , ne per somnum quidem crediderunt unquam infiniti Contraremonstrantes, ipsos appello testes. Tu vero si statuas , Adamo unicum tantum fuisse liberum arbitrium, quod naturale vocas , quia id habuerit a natura, & id quidem dicas non sublatum esse, quid restat nisi ut Paradoxon proponas proxima disputatione , Naturam humanam quo ad liberum arbitrium per Originis peccatum non esse virtuatam. aut si virtuatam tamen in hac parte agnoscis ob reverentiam Ecclesiæ , cuius stipendio frueris, restat ut cum alijs dicas, esse virtutam quoad bonum , aut imminutam , id est, cum planius

loquuntur, plane mortuum sive sublatum, quamdiu homo est irregematus. Quælo *Voeti* an ergo non sublatum est omnibus reprobis naturale liberum arbitrium ? cum non habeant libertatem, nec possint quicquam operari ad suam salutem? Non est, inquis: quia libertatem arbitrij habent quoad alias res, scilicet mundanas. Crede mihi, ad Theologum non spectat disputare, an habeat homo hanc libertatem eligendi, utrum velit prandere, an exire foras, an currere, an morales etiam exercere virtutes: hoc unum quæstione dignum est, an liberum habeat arbitrium quo virtutes Theologicas possit tum amplecti, tum respuere. Hic est potissimum Pontificiorum scopus in illa Controversia. Illo ergo sensu cum omnes Reformati aperte dicant, Homini nullum esse naturale liberum arbitrium, qua sinceritate tu illorum exprobationes vocas furiosas? Quanto rectius Remonstrantes, qui ab his Disputationum tricis se nullo negotio expediunt & statuunt enim Deum, si quid ab homine petit, tantum repetere. Cum ergo petit ab eo velle, non petiturum, nisi ipse dedisset velle posse. Sive ergo ex se habeat liberum arbitrium, sive non habeat, & quantum, quantulumve habeat, non judicant opera preium esse laboriose disquiri; Cum Deus per Euangelij sui prædicatione patefaciat gratiam salutarem (cui salus tota debetur) omnibus apparuisse, ut quod non possunt per naturam, omnes possint per gratiam. Quæ dico ut scias Remonstrantes tuum Naturale liberum arbitrium Theologicum nullum agnoscere, quin potius hoc ipso nomine a vobis magis esse abalienandos, quia per fraudem videri vultis saltem aliquid naturali libero arbitrio tribuere: si autem nihil tribuitis, furiosum est, quod exprobationem dicas furiosam.

Venio ad Assertionem VIII, in qua dogmata Vestra de Electione absoluta, de Gratia efficace, & de certitudine salutis seu Perseverantia sanctorum, non tantum pietatem aut consolationem fidelium nulla sui parte minuere defendis, ut alij, sed insuper ut nobis oculi doleant, assiris; Eadem vel imprimis, id est, nisi fallor, excellentius quam alia, certam consolationem & pietatem promovere, ut appareat nostros bene furiatas mentes habere, qui ex purissima & sanctissima Contra-Remonstrantice Religionis parte, tanquam araneæ ex optimis floribus, suum venenum colegerunt. Ergo ne disputemus *Voeti*, an veræ doctrinæ de Divina Electione, de Gratia Dei, & de Perseverantia sanctorum ad pietatem & consolationem conducant: sed agamus privatim de Vestra sententia, id est, de Electione absoluta, de Gratia irresistibili, & de Perseverantia inconditionata.

Disqui-

Disquiramus An dogma de Electione & quidem absolute, de qua tota-lis est, fidelibus certam praebat consolationem. Nego. 1. quia in Sacra Scriptura nullum habemus ejusquam exemplum, qui sese consolatus fuerit per hanc Electionis absolute ad vitam æternam fiduciam. Ergo inepta est talis consolatio sine exemplo. 2. Omnis consolatio piorum ex eo peti debet, quod sint filii Dei, quales esse non possunt, Sacra Scriptura testante, nisi per fidem. quare in doctrina de Electione absolute, quæ omnem fidei respectum excludit, nulla potest esse consolatio. 3. Quomodo potest ea doctrina præbere consolationem homini dubitanti ac periclitanti de salute, quæ dubitationem non tollit? Si Petrus v. g. vergat in barathrum desperationis, quia veretur, ne sit in infelici illo Reproborum numero, quid docet vestra doctrina? Scilicet aliquos absq[ue] ute electos esse. quid hoc ad Petrum etiam si fere omnes homines absq[ue] ute electi essent? Nulla potest haberi consolatio, nisi per applicationem boni generalis ad personam singularem; id est, quamdiu non potest dici cū fiducia & in nomine Domini Dei, Tu Petre es absolute electus, quælo quam consolationem Petrus potest agnoscere ex absolute electione? Ergo doctrina hæc de Electione absolute nihil facit ad veram ac so idam consolationem. Solent excipere Contraremonstrantes, Fideles facile intelligere, quod generalis illa doctrina ad consolationem ipsorum propriam pertineat, cum habeant fidem, quæ sit Electionis indicium. Ac hoc ipsum est, ex quo vel imprimis apparet, Votu sententiam per se ipsam corrue: nam fides illa, a qua volunt Electionis argumentum peti, testatur nos esse filios Dei per fidem, id est, quatenus fideles sumus, seu respectu fidei, non quatenus sumus personæ singulares sine ullo respectu fidei. Joan. 1. 12. Unde apparet, quantumvis doctrina de Electione absolute esset vera, nullam tamen ex eo dogmate deduci consolationem, sed ex alio quodam fonte.

Quantum ad doctrinam illam alteram dæ Gratia irrefribili; ea quoque non potest hominē consolari: non ante conversionem, non in ipso conversionis momento, non denique post conversionem perfectam. Nam 1. si consolaretur hominem ante conversionem ipsam, presupponendum esset, veram illis de Scriptura consolationem debiri, quos ipsa sub horribili ira Dei concludit. Joan. 3. Talis ergo consolatio repugnat Euangelio & mandato Dei. 2. Si consolatur in ipso conversionis momento (loquor secundum Contraremonstrantes) quælo quid momenti est in momentanea consolacione? potestne momentum illud a quoquam observari, qui tunc

miseri opportunam hanc consolationem suppedites? Non potest. Ergo pauci sunt, quibus contingit. 13. Sed post conversionem, aīs, consolatur fidelem. Facile dictu. Da exemplum de Scriptura: tum item expedi quæ ratio insit in hac doctrina ad Consolationem. An sic colligendum est, Deus conversionem tuam efficit irresistibiliter. Ergo non est quod nunc doleas, sed gaudium concipiās? At omnis consolatio peti debet a bono, quod futurum est vel cum futuro coniunctum, non ab eo quod præteriū, qualis est illa irresistibilis Gratia conversionis. Quare etiā vera esset illa doctrina, tamen non liquet, eam ad consolationem proficere aut officere quicquam. Fortasse excipies, Fideles ex intuitu Gratiae efficacis & irresistibiliis colligere posse ab eadem se porro quoque esse confirmandos: itaque hinc vel imprimis ingentem eos consolationem haurire. Hoc nihil est. Nam talis consolatio manifeste pendet ex doctrina de Perseverantia, non ex hoc articulo, de quō nunc agimus. Præterea falsum est, quod ipsa Gratiae irresistibilitas ad Conversionem signum sit vel argumentum perseverantiae futuræ. Probetur ex Scriptura. 1. Cor. 1. v. 8. 9. dicitur, Deum nos cōfirmaturum inculpatos in die Domini nostri Iesu Christi. Profecto cum hæc scriberet, credo hominem dormitasse nec attendisse vel minimū quicquam an hæc doctrina consolationi esse possit, sed tantum ut ægre faceret Remonstrantibus, eosque in invidiam adduceretphantasma suum inauguralibus thesibus consecrassit.

Porro dogma illud Contraremonstranticum *de Perseverantia* Consolationem quidem suppeditare fatemur, verum nimiam; eoque non admittendam, quia conciliati non potest cum perpetua Scripturæ phrasí, quæ nulquam nou serio monet ut vigilemus ac oremus, argumento addito ab imminentे periculo, cuius metum hæc de Perseverantia doctrina facit inanem. Nam quomodo recte rationi non repugnat ut Concionator fidelem, qua fidelem, moneat obsecratque sollicitum esse, ne fiat id, quod & fieri non potest, & ipse nou posse fieri non tantum nunciat, sed etiam ita serio credendum proponit, ac si graviter Deum offensus sit, si vel minimum ea de re dubitet. Hæc non esse absurdā & incohærentia credemus, si ullum simile exemplum dari poterit: sed si non-dari poterit, dicemus dari non posse, quia sunt absurdā & incohærentia. Scriptura Dei summam Consolationis in eo ponit, ut Dei benignitatem in nos attendamus, si quidem permanserimus in benignitate,

tate , aliqui refecandos etiam nos esse , qui per fidem stamus. Rom. xj. Quæ si serio ac vere dicuntur, quod nulli dubium est, valeant Consolatores , qui ampliorem & certiorem fiduciam prætendunt, quasi Consolatio illa vera, quam Deus præbet per Scripturam, non debeat nobis abunde sufficere, sed in ejus locum alia potentior subrogari, quaquidem sanctorum neminem in sacris litteris usum esse didicimus.

Supereft ut videamus an eadem illa dogmata solidam quoque pietatem promoveant : *imo vel imprimis* , inquit *Venetius*. Si reliquis ejusdem professionis pastoribus idem videretur, credo equidem proponerent ea & saepius & clarius suis auditoribus : sed contra est , tunc enim judicant se quam maxime pietatem promovere, cum ea dogmata prudenter tegunt. Hoc eo fit, quia quamvis illi sententiae omnino favent, tamen non ita perspiciunt, qua ratione pietatem promovere possit. Unde si quis a pietate alienus esse videtur, apud hunc vel hiscere de articulis istis religioni habent, scilicet intus clamante Conscientia, quam parva ad impietatem amo-liendam hæc doctrina auxilijs ferat. Tuæ erunt igitur partes explicare modum quo singuli isti articuli ad pietatem impellant, & *quidem vel imprimis*.

Ego contra tibi ostendam, eos vel imprimis tollere omnem pietatem. Doctrina quæ liberat homines ab omni necessitate sollicite vivendi, ea vel imprimis pietatem tollit. At vestra illa dogmata tollunt hominibus omnem sollicitudinis necessitatem. Ergo pietatem tollunt : tollunt, inquam, nisi quis habeat conscientiam ipsa doctrina potentiores, atque aliunde ad pietatem instructus sit. Docetis enim , de omnibus & singulis in alteram parrem Electio-nis aut Reprobationis irrevocabili iter esse decretum , secundum voluntatem Dei. Cum ergo sub universalibus singularia con-tineantur, an non licebit mihi dicere, De me decretum factum est? Annuis. Addam : Cupio credere me Electum esse. quid jam necesse est sollicitum esse? tantundem eritac si maneam securus. Si enim sum Electus, quid opus est cruciari, ut convertat? nec enim converti possum vel ante, vel post momentum illud, quo decretum est , ut mihi gratia specia'is & efficax illa infundatur; ea vero infundetur certo certius , vel in ipso exitu animæ exspirantis. Quod si conversus jam & fidelis sum, quid necesse est macerari me de fide amittenda, quam amittere nequeo, quantumvis suaviter

vivam in peccatis. Sic e doctrina vestra cum libuerit ansam capie securitatis, neque poteritis illum, si consentanea dicere velitis, ulla in parte redarguere. Si respondeas non dehere nos tam furiosas nectere consequentias, quod arcana sua sibi Deus servet, ea que adorari velit noui videri, jam tuo te gladio jugulabo; Cur enim non vis ut credam, ne electum, qui doceris, omnes & singulos etiam reprobos id credere debere? Cur ad promoverandam pietatem alio me avocas. Nempe vereris ne pietatem extinguis: hic ergo est fructus illius doctrinæ. Sed pressius agam. Quid refert, me temere in Dei consilia pedem inferre? Utrum sciam nec ne quid constitutum sit, non laboro; dum sciam tamen, omnem meum conatum frustra fore nec posse mutari quod immutabiliter decreatum est. Ergone me fatigabo & dies noctesque macerabo ut nihil efficiam. Nihil ad hæc respondere potestis aliud, quam humanam esse rationem, quæ talia dictat, cui non sit auctor tandem. Miserum effugium indignum quovis homine, nedum tanto Philosopho. Sed ego humanum esse nego; a Deo profectum est. Vide enim ob quam rationem Christus moneat sollicitudinem abdicare. **Luc. 12. v. 22.** Ne solliciti estote &c., cur autem? v. 25-26. quia sollicitate cogitando non potestis uno cubito angere staturam vestram. itaque si ne rem quidem nimirum potestis, quid de reliquis estis solliciti? Vis argumenti omnis in eo constat, quod sollicitudo inutilis sit, qua nihil possis efficere, & porro quanto res ipsa erit difficilior, tanto magis sollicitudinem esse abiiciendam. Si ergo spiritualia multo minus possumus, juxta vestram sententiam, quam corporalia, manifeste colligetur, quod minus hæc nos sollicitare debeant. At Jesus Christus hoc loco vere & eleganter ostendit, omnes homines, qui vocantur a Deo, multo plus posse ad obtainenda bona spiritualia & æterna, quam ad conquirenda mundana: quare ex ejusdem argumenti sequentia concludit, ne querite illa, sc. quæ vestra sollicitudine non potestis acquirere; quin potius v. 31. querite regnum Dei, nempe quod acquirere potestis, ut pote cum omnibus ac singulis pateat; &c. hæc omnia, alia nempe, quæ frustra querunt homines inani sollicitudine, vobis adiiciuntur, quantum Deo vjsum erit: sicut & inter alios mortales distribuantur non secundum eorum labores, sed ex beneplacito divinæ voluntatis, & ab ijs prælertim, qui pietatem volunt colere, per sollicitudinem acquiri non possunt, cum multæ rationes, quibus alij utuntur, illis sint illicitæ. Ergo sollicitudinem omnem

omnem conferre docet Christus ad quærendum cœleste regnum eo solo arguento , quod nulla sollicitudo in hac parte possit esse nimia , & nulla possit hominem frustrari . Videte ergo qua conscientiæ securitate , Vos ad tam molestum laborem homines compellatis , quorum tamen sollicitudinem docetis in vanum consumi , ad quem Christus neminem invitat , nisi eam ob rationem , quod in hoc solo negotio sollicitudo effectum sortiatur optatum .

Hæc tractavi de dogmatis vestris conjunctim , addam speciatim aliquid de singulis . *De Electione absoluta.* Quæ doctrina persuader hominibus Electionem esse factam sine ullo vel minimo pietatis respectu , quam vim ea habeat ad pietatem vel imprimis promovendam eo nomine quod hoc ipsum doceat , perimus a *Vœtio* foli de demonstrari . *De Gratia Efficaci.* 1. Quæ doctrina statuit hominem nihil omnino posse ad promovendum conversionem suam , ea pietatem nihil promovet quo - ad iregenitos . At hoc statuit vestra doctrina . Ergo nihil promovet pietatem quo - ad iregenitos . 2. Quæ doctrina docet gratiam operari irresistibiliter in homine totum pietatis cursum , ea non modo per se nihil facit ad promovendum pietatem in regenitis , sed studium omne pietatis in ijs suffocat . Quis enim studeat isti rei quam totam in se ab alio effectam iri persuasissimus est , atque esse debet ? sed talis est vestra sententia de Gratia efficace , ergo nihil ad pietatem . Fortasse regeret *Vœtius* ad Philippenses 2. 12. moneri fideles , ut cum timore ac tremore operentur suam salutem , eo ipso arguento , quod Deus sit qui in ipsis operatur & velle & perficere . fateor : & si adderetur irresistibiliter , confecta res esset , cum non addatur , est petitio principij . Si irresistibiliter Deus in ijs operaretur & velle & perficere , nihil haberet Apostolus Philippensibus injungendum : sed cum hoc arguento illos moneat cum timore & tremore operari , quod habent tam tremendum cooperatorem , liquet e contra cooperationem Dei resistibilem esse . 3. Nullibi petit sacra pagina argumentum ad pietatem promovendam a Gratia irresistibilitate . Ergo ad hoc non est utilis . *De Perseverantia.* Nullibi petit sacra Scriptura argumentum ad pietatem promovendam a Contra - Remonstrantica Perseverantiae infallibilitate , sed potius a contrario periculo amittendi quod habeas , a quo vestri suo calculo sunt immunes , cum Spiritus sanctus ( ut disputat *Waleus* in Academia Leidensi ) non detur , ut a nobis custodiatur , sed ut custodiat nos . Liquet C ex hisce ,

ex hisce, nisi fallor, vix apud ipsos Contrare monstrantes tueri posse  
*Vocatum*, quæ hic tam confidenter assertuit: in quibus imitari for-  
tasse voluit eos, qui iniquum petunt, ut aquam obtincent: scilicet  
plenis buccis eructat, consolacionem ac pietatem imo vel imprimis  
ea promovere, ut apud incertos hoc saltem fidem inveniat, eos  
plurimum sa li, qui ea traducunt, tanquam desperationis & impro-  
bitatis genuinæ matricis.

Sed quid si Remonstrantes eam doctrinam clament esse merita  
errorem; jam nemo dubitabit, nec veram pietatem, nec veram  
Consolationem ex erroris putida lacuna posse hauriri. Hic Operæ  
pretium esset, Lectorem percurrere omnia & singula argumenta,  
quæ publice suo calculo approbavit *Vocetus* disputatione habita 13.  
Septemb. tota fere in unos Remonstrantes directa. Hic videres  
quam parum solidis fundamentis e Sacra Scriptura totum illud  
ad fiduciam Prædestinationis innitatur: affirmo sincere, pleraque  
esse tam puerilia, ut si quis ante illi sententiæ suisset addic tus, per  
hæc ipsa merito in dubium revocaretur. Et hoc ipso loco ad unum  
omnia & singula perspicue refutarem, nisi vererer ne moles hujus  
scripti nimium excresceret: De singulis singula edam specimenia  
1. proferam prima quæ ipse ad fert argumenta. *Electionem absolute*  
*esse probat*, eo quod varijs locis Apostolus Beneplacitum Dei  
electioni tanquam fundamentum substernit. Fatemur: jam col-  
lige, si *Vocet* vis gratificari, sic: Beneplacitum Dei est Electionis  
fundamentum, ergo Electionis fundamentum est tale beneplaci-  
tum quod excludit omnem fidei respectum. *Gratiam Dei in conver-*  
*sione hominis esse irresistibilem* sic probat: Scriptura quasi aperto  
ore clamat, Deum cor nostrum circumcidere, Deut. 30. 6. tolere cor  
lapideum, facere ut ambulemus in vijs ejus, Ezech. 36. 26. 27. con-  
vertere, Jer. 31. 18. trahere nos ad se, Joh. 6. 44. operi in nobis  
velle & perficere, Philip. 2. 13. &c. Collige in graiam *Vocet*,  
Ergo Deus illa omnia facit non ex mente Remonstrantium resisti-  
biliter, quod est hereticum, sed ex nostra mente proprio Catholi-  
corum irresistibiliter. Credas ne hominem serio hæc dicere an  
joco? Verum ne sine ratione insanire videatur, mox subiicit aliqua  
absurda, quæ cogant ea loca exponere de vi quadam irresistibili:  
nam alii, inquit, Deus tantum dicendus esset hæc conari. formetur ar-  
gumentum, Qui aliquid efficit, sed non irresistibiliter, is non di-  
cendus est efficere, sed tantum conari: Atqui secundum Remon-  
strantes

strantes Deus illa omnia efficit sed non irresistibiliter. Ergo secundum Remonstrantes Deus non dicendus est efficere, sed tantum conari. Bone Voeti, si re iisque tue eruditio nis tituli non aliud habebant in recessu, quam iste Dialecticus differendi modus, vereor ne ex flamma fumum des, nec respondeas hominum de te exspec-tationi. Primum argumentum quo probat vere fidelem gratia finaliuer excidere non posse, est locus Jerem. 32. v. 39. 40. Quo loco verba ita sonant: *Et dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me cunctis diebus: ut bene sit eis & filii eorum post eos. Feriam quoque cum eis pacium sempiternum, quod non revertar a tergo eorum, ut benefaciam eis: & timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant a me.* Manifestum autem est ex v. 37. tum ex ipsis ipsis verbis, Deum hoc loco magnum aliquid bonum promittere ei populo, quem esset rediutorus in Israeliticam terram, iam collige argumentum: Deus hic promittit Israelitis aliquid novum & inusitatum bonum, Ergo nihil aliud promittit, quam perseverantiam sanctorum, quae ab initio mundi semper fuit, & tunc temporis, cum promittebatur, etiam erat, non minus quam in posterum speranda, imo & sciebatur & credebatur eodem modo esse & fuisse semper. Spectatum admissi risum teneatis amici. Hiccine est ille Voetus? hiccine ille digito monstrandus?

Age jam probemus nos vicissim figura esse quæcumque *de absoluta Electione* docent. 1. Deus sic agit ubique in Euangelio suo hominibus proponendo ac si nulla talis sit electio præcisa personarum singulatum ad vitam æternam. Ergo nulla est. 2. Multo minus sic agit ac si sit aliqua absoluta reprobatio, quæ sola pessime semper habuit Remonstrantes. Qui non vult quenquam perire, is sua solius voluntate neminem in eo statu collocat, in quo moriens non possit non perire. Sed Deus neminem vult perire, Ergo neminem absolute per decretum suum in eo statu collocat, in quo moriens non possit non perire: hoc est, neminem collocat inter reprobos, nam si quis reprobis moriatur, eum sine controversia perire necesse est, ut per suum interitum gloriam Dei illustret, si vera docent Contra-Remonstrantes.

Quæ *de Gratia irrestibili* in medium afferunt, sunt hæc: Dupli-cem esse gratiam quæ hominibus ad Conversionem a Deo præsta-tur, unam communem & generalem, alteram vero *specialem*, sicut & ipse Voetus in thesi 3. secundæ Disput. diserte innuit: statuunt

autem illam communem , nisi insuper accedat hæc specialis, insufficiem , ac proinde inefficacem esse ad fidem hominibus ingenerandam ; hanc specialem autem dari tantum ijs, quibus per Electiōnem destinata est fides , & cæteris verbum prædicationis ad aures tantum ferri, at gratiam quæ possit vivificare absolute a Deo negari quoniam absolute rejecti sunt. De Gratia communi, eam dari scilicet, consentimus. Unde sic colligitur : Non sunt multiplicanda entia sine necessitate ; Ergo qui sine Scripturæ autoritate inducit gratiam specialem supra illam communē, audiri non debet. Quanquam , ut sunt Remonstrantes benigni & in eam partera maxime proni quæ ad gloriam Dei vergit , non negant præter communem gratiam etiam specialem illā alteram in his qui convertuntur posse concedi, imo ne quidem irresistibilem eam esse contentiose inficiantur , si tantum concederent Contraremonstrantes omnibus Evangelij auditoribus qui officium quantum in se est faciunt, aditū quoq; ad hanc specialem & irresistibilem gratiam patere: sed cum adversarij id minime largiantur, contraque statuant eam specialem gratiam certis tantum hominibus destinaram esse, alijs vero absolute negari, cogimur pressius agere ac postulare, ut eam specialem scilicet quam ipsi tuerintur, e sacris litteris demonstrent. Hic vero mirum quanta inopia autoritatum , tum etiam quanta consequentiarum partim negandarum, partim nectendarum impudentia. In quibus ut versemur sine confusione, sciendum est 1. hoc non controverti, an illi qui jam actu conversi sunt, habeant aliquam gratiam specialem, quæ vocari potest Gratia conversionis. Nam hæc gratia non eo sensu specialis dicitur, ac si alijs fuisset negata, sed quæ communis erat & generalis, per applicationem facta est specialis: habent ergo gratiam, quam alij quia repudiaverunt, non habent. 2. neque illud etiam disputandum est, an extremus ille actus quo Deus, ut sic dicam, regeneracionem in homine absolvit, sit gratia quædam specialis ; itemque an ea, sit irresistibilis : hoc enim facillime possunt Remonstrantes admittere, quia præsupponit hominem qui sic se gessit, ut jam ante se vita æterna dignum judicaverit , quiique in eodem adhuc statu permanet , quales Deus regenerat procul dubio. Qui ergo disputare velit talem gratiam esse irresistibilem , uti fecit noster Voeatum th. 3. Disp. 2. non magis sapit quam pueruli , qui dicunt, quum edo, edo ; quum ludo, ludo ; quum tibi do pomum, tunc tibi do pomum : & loquuntur non minus Philosophice quam

Vestimenta,

*Voetius*, quia omne quod est, eo ipso quod est, necesse est esse. Sic *Voetius*: Hoc est quod docemus, cum voluntas immediate afficitur gratia, tunc eam non respuit; eodem temporis momento, quo non resistit, non potest quin non resistat. Absurdissime: nam ille extremus actus regenerandi est ipsa Regeneratio, non autem est medium ad regenerationem pervenienti, de quo solo inquirendum est an gratia specialis aliqua sit, hoc est, an sit medium aliquod, proprium solis electis, non commune alijs. Repudiatis ergo tanquam Sophisticis omnibus illis argumentis, quæ petuntur ab eventu, qualia fere omnia sunt, loquamur de Gratia conversionis sine ulla Sophistica ambiguitate, hoc est, de medio speciali quod Deus ante conversionem his, ut illi volunt, largitur, alijs negat. De hoc medio disputare volunt Contra-Remonstrantes, id esse irresistibile. Sed prius debebat constare an sit, tum etiam quid sit, quam disputemus quale sit. Gratiam prædicationis externam esse dicitis, & communem: gratiam illuminationis internam facitis, sed tamen & ipsam reprobis communem, quæ est igitur illa specialis gratia? Conversionis inquis seu regenerationis. magnifica verba. Sed quid est ejusmodi gratia seu medium conversionis? Cogita: nihil invenies. hoc satis arguit figuratum esse. Dices fortasse ipsum Spiritum Sanctum immediate peragere regenerationem. At hoc est omnium absurdissimum: nam si immediate, ergo nullū est medium id est, nulla est gratia regenerationis, de qua tam operose disceptatur. huc omnia redeunt, ut ex Scriptura ipsa probatis conversionem irresistibiliter perfici. Loca vobis ad hoc ipsum in speciem probandum pauca sunt admodum: unum & omnium præcipuum dabo, in quo scio proram & puppim a nonnullis collocari: is est act. 16. 14. *Quaedam autem mulier nomine Lydia, quæ purpuram vendebat in urbe Thyatirorum, Deum colens, audivit s cuius Dominus aperuit cor, ut attenderet ijs quæ dicebantur a Paulo. Quum u. baptizata esset &c.* Hic dicitis Lydiæ conversionem describi per quandam specialem & irresistibilem gratiam: Ergo omnis conversio ordinaria fit irresistibiliter. In hoc argumento tria presupponuntur, quorū duo prima falsa sunt, & tertium incertum. 1. presupponitur hic proponi exemplum conversionis ab impietate ad pietatem seu regenerationis, quod fallum est; cum in textu dicatur Lydia jam ante fuisse pia & Dei cultrix. 2. Presupponitur ejus conversionem fuisse factam irresistibiliter, cum in textu nihil

aliud sit quam Deum aperuisse ei cor, & quidem eo, ut attenderet ad ea quæ Paulus prædicabat ; quod de conversione non dicitur, sed tantum de alteratione ; tum autem an irresistibile fuerit factum nescie, non additur : & quamvis irresistibile fuisse, nihil ad rem saceret, quia aliud nisi significaret nisi illuminatam ei fuisse mentem, ut intelligerer sibi Deum colendum non ex Mosis præscripto, quod ante credebat, sed & in fide J. Christi : de ipsa ejus conversione ad Christianismum nihil verbotenus in hoc loco habetur, sed tantum colligitur ex ijs quæ sequuntur. 3. præsupponitur hanc Lydiae prætensati sub verbis illis (*Déus aperit ei cor*) conversionem omnino orditariam fuisse ; quod est probandum, & in eo, si quid lubet, *Vetus* satis fudabit.

Cum ergo figmentum hoc e sacris litteris non possint demonstrare, par quidem erat ut Deo gloriari tribuerent & ad ejus latitudinem faterentur media illa communia quæ Deus sapientissimus ad hominum conversionem adhibet, omnino esse sufficientia, & idonea, quod ratio ipsa clamat : sed malunt illius destinata media, tanquam inepta, traducere, quam de præconceptis opinionibus quicquam decedere. Unde apertam scripturam, quæ testatur gratiam Dei salutarem omnibus hominibus apparuisse, in omnes potius formas vertere saragunt, quam errorem deponere. Sed illam communem gratiam sufficientem esse jam pluribus non urgebo, nec enim hoc quidem tempore propositum habeo omnibus adversus illos machinis pugnare, sed illa præcipua, quia, nisi ipsi speciem gratiam ex Scriptura demonstrarent, satis ipsa per sele corruit quod velim a Lectore observari.

Verbum addam de Fidelium Perseverantia, cuius vim non constituit *Vetus* in homine (ipsius verba sunt th. 5. Disp. 2.) sed in Deo qui nunquam suos quamvis rejectione dignos totaliter aut finaliter deserit : sc. ex Dei fidelitate deducit inconditionatam perseverantiam ; cum ex ea colligi deberet contrarium, sicut testatur Apostolus 2. Tim. 2. v. 11. &c. *Fidus sermo.* nam si una mortui sumus, etiam una vivemus : si toleramus etiam una regnabimus : si abnegamus, & ille abnegabit nos : si increduli sumus, ille (tamen) fidelis manet ; negare se ipsum non potest. Ubi manifeste ipsa Christi fidelitas in eo quoque statuitur, quod abneget eos, qui fideles ipsi non manent, qualium Sacra pagina quædam exempla nominatum proponit 1. Tim. 1. 19. Cap. 4. 1. Cap. 6. 9. 9. &c. Tum etiam,

etiam , eventurum id ipsum prædictit ut aliqua falsis Vatis illi-  
ciendi sint , non modo ad defectionem a vera doctrina , & ad pro-  
fessionis falso communionem , sed per illecebras ac vnouptates car-  
nis ad vitaे impunitatem . quales autem homines ? qui verè effuge-  
rant in errore versantes , sic ut inquinamenta mundi per agitatio-  
nem Domini ac Servatoris Jesu Christi evaserint . 2. Pet. 2; 18.  
19. 20. Hæc est defectio a salutari Christi agnitione atque conver-  
sione , per quam non modo profitebantur in speciem se per Dei  
gratiam segregatos a mundo esse , sed & revera segregati erant .  
Fui prolixior in hac assertione examinanda , quia in hac maxime  
ipsa controversia consistit : in alijs operam dabo , si sim brevior .

Ad illud ergo quod Assertione IX. proxime subiecit , *Humanæ scripta aut formulas Ecclesiasticas libris Canonicoꝝ suos homines minime adequare ; nec ijs conscientias subiungere ; dico justam esse querelam quæ non illos modo sed alios quoque in Christianismo cœrus quosdam attingit quod humana scripta seu Catechismos suos libiis Canonicoꝝ non comparant , sed proh dolor ! etiam præferunt qui sunt inter ipsos simpliciores , id est , decuplo maxima capitum pars : quod faciunt cum connivencia , imo & cum applausu Pastorum . Supra omnes alios vero hic eminent *Contra Remonstrantes* , qui cum sciant inter suos plurimos esse hac imbutos opinionem , quod Catechismus medulla sit Sacra Scripturæ , ita ut nefas esse duce-  
rent ejus vel apicem unum reijici ; nec laborant eis eximere hunc errorem , & per conciones etiam publicas quidam , si occasio offe-  
ratur , instillant populo , si quando incident in Scripturæ Sacrae lo-  
cos difficiliores , habere iplos in Catechismo aut similibus formulis  
analogiam fidei , qua duce possint sapere ut moneret Apostolus  
Rom. 12. ad sobrietatem : nulli vero existunt , qui id ipsum aperte  
ac simplici animo sumant refutandum . Nam quod fortasse ali-  
quando satis maligne ad calumnias sciūcerit diluendas profertur , ap-  
paret magis ad invidiam adversariorum pertinere , quam ad Chri-  
stianam institutionem . Sic illis scriptura ad stabiliendam Cate-  
chesin adhibetur : de Catechesi vero judicare per Scripturas maius  
esset crimen quam de Scripturis per Catechesin . Amplius dicam ,  
Vulgus id jure facere si jus est , quod fit ad omnium fere Pastorum  
commune exemplum , qui tum cum ad ipsam rem ventum esset ,  
ubi specimen dandum erat , tanquam pro aris & focis , qua publice ,  
qua priuatum , per fas , per nefas decerterunt , ne uila institueretur*

Catechis-

Catechismi vel Confessionis revisio, quasi ipsa Religio scilicet hæc haberet fundamenta, eaque si attingerentur, tota in ruinam fuisset solvenda. Quid? quod ubi omnia ex voto fluebant, jamque Synodus Nationalis ex meritis Contra-Remonstrantibus, & multis quidem acerrimis convocata esset Dordracum, non defuerunt tamen inter ipsos, qui Delegatos suos eo miterunt cum hoc expresso in ipsis litteris fiducialibus mandato, ut non modo secundum *Dei Verbum*, sed etiam secundum analogiam fidei Confessione & Catechismo Ecclesiistarum Belgicarum comprehensam, judicarent. cum tamen sentirent ipsi in ea Synodo de formulis ipsis Ecclesiasticis judicandum esse, vel, si verius loqui velimus, probunciandum. Adeo nec sufficiebat Sacrarum litterarum autoritas nec certus Co<sup>l</sup>legarum favor, jam ante schismate confirmatus, nisi insuper Catechismo Confessionique is honor haberetur, ut eis ipsis, ad quos litteræ perferebantur, tanta loquendi libertas horrorem incuteret: quæ tamen, cum omnibus idem studium esset, levi quodam inducto colore facile fuit approbata. Ex quibus qui non videt Contra-Remonstrantes humanis scriptis p<sup>u</sup>s satis conscientias subiçere, eum oportet talpa cæciorem esse.

Quod sequitur Assert. X. ipsos prophetandi libertatem, & libertatem conscientiarum servitute aut tyrannide non premere, nec premi velle, verum esse concedi potest, si intelligatur de servitute aut tyrannie in eos, qui se ad ipsos Contra-Remonstrantes adjungunt: sed credendum est, loqui *Vœtum* de alijs. Ergo cum hic dicit, non velle Religionem suam ut prophetandi conscientiarumve libertas servitute aut tyra<sup>n</sup>nide prematur, id est, ut Magistratus Christianus libertatem conscientiarum, quin & prophetandi libertatem persecutionibus ullis impediatur, palam damnat ipse suos Magistratus, quod contra Religionis, quam profitentur, præcepta fecerint, cum parum Christianis Concionatorum præcipue suasionibus tempestivis, intempestivis, sese eo adduci passi sunt, ut ea in Remonstrantes admiserint, quæ infinitorum hominum, non dico Remonstrantium, sed eorum qui extra partes constituti sunt, conscientię testantur, & linguae profitentur persecutionem esse. Neget *Vœtus* quantum libet, disputet, clamet ad ravim usque, vereor eum minime satisfactum esse vel ipsorum Magistratum suorum conscientijs. Verbis tuis, insane *Vœti*, non pacabitur ipsorum conscientia, quæ nimis aperte eis dicit<sup>a</sup> vos docuisse, persecutionem in Remonstrantes esse, licitam

licitam, atque etiam justam, contra quam hic diserte afferis in The-sibus; quod autem & persecutionem eam fuisse, & injustam fuisse agnoscant, apparet, cum plurimis ipsorum jam displicere incipient vestra consilia, qui verbo tenus publice clamatis Religionem vestram non pati, ut cuiquam libertas prophetandi vel conscientiae violetur, quo tamen omnes conatus intenditis, quasi persecutionum evidenissimam lucem Disputationis clypeo praesumatis obumbrare. Hæc vident Magistratus, & intelligunt si vel quam maxime vobis morem gerant, tamen se apud posteritatem a vobis ipsis incusandos, quod adversus Religionis ipsius præcepta inclementer admodum innoxios fuerint persecuti. Fraudem agnoscunt, displicer collusio, Quo nomine & ipsis numensas habemus gratias, & Deum precamur ut eorum erga nos clementiam remuneretur in die Domini nostri Jesu Christi. Pluribus in hanc rem non insistam, quamvis multa dici possent, quibus supersedeo non in *Votis* gratiam, sed ob alias causas, quæ mibi magis sunt cordi. Unum ab illo petam, ut breviter tantum explicet omnes persecutionum formas, quod videamus, an ipsius Religio nec premat quenquam nec premi velit persecutione. Ubi fecerit, puto rem ipsam fore ita clara, ut quod hic afferit, publice revocet; statuatque, licitum esse Magistratui, ut libertatem prophetandi & libertatem conscientiarum coactiva potestate premant, imo ut premant Religionem ipsam, velle.

Ex dictis obiter liquet, evidens erratum, vel potius officiosum mendacium esse, excogitatum in laudem suæ Ecclesiae, cum quod scribit Assert. X I. Nullibi majorem erga Principes & Magistratum obedientiam esse, nullibi securiorem politiam, quam ubi subditi sua Religione probe sunt imbuti. si liberet exteras citare historias, multa adduci possent in contrarium: sed cupio me continere intra terminos. Quælo quæ potest per Religionem esse illius politiæ supra alias securitas, vel obedientia major erga Magistratum, ubi docentur subditi, libertatem alijs admendam esse? Cum sint Contrar-Remonstrantes domini publicorum templorum, cumque illis fere solis omnium & Ecclesiasticorum & Politicorum munerum beneficia sint destinata, videoas tamen quibus locis maxime illi triumphant minimam esse quietem, crucem esse quod Remonstrantes videre cogantur, mortem quod non liceat extinguere. Quales infiniti cum existant inter ipsis odio implacabili (quod cum fide consistere non potest, ut fatetur *Votius Disp.* 2. thes. 4.) nemo

pastorum placare aut moderari curat : quin tribunitijs potius concionibus instigant plebeculam, vel in ipsam quæ a Deo ordinata est potestatem , si non ad nutum Ecclesiæ adversarios exterminare laborent. Horum nonnulli cum ab ipso Magistratu, ob hanc solum causam , sint urbibus ejecti , non censuram a Collegis, sed magis laudem consecuti sunt ; quippe quibus non invitis per longa temporum spacia concionatoriam maledicentiam exercuerint : quo in genere emicuit etiam quidam *Votij alter-ipse*. Quid futurum existimamus si Magistratus alij Religioni per conscientiam esset addictus, & si appareret ejus loco movendi aliqua spes ? quid futurum inquam , nisi quod vidimus , cum suspicione tantum gravarentur, ut publici odij & conviciorum fierent quotidianæ victimæ, cum manifesto seditionum periculo, donec loco moti fuerunt ; & quidem ut intelligas ob religionem suisle motos, in tanto numero, tot pagis , tot urbibus , tot collegijs , omnes ad unum loco moti sunt , nisi si qui erant, qui murata professione parati essent vel cum animæ detimento orcinis emolumenta conservare. Quæ tamen non dico ut ipsi Religioni imputem, absit, sed tantum, ut ostendam, cum varie sint Christianismi professiones , quæ obedientiam erga Magistratus sincere urgent, *Votium* non sincere agere, qui laudem communem , sed alijs tamen longe magis debitam , in sui tantum generis homines conatus sit verbis derivare. Porro quod in eadem Assertione pronunciat, *sinistrum esse judicium, & vanum metum, quod purant nonnulli, Monarchijs præjudiciorum esse hanc simplicem & popularem Religionis formam*, non per omnia convenit cum eo quod dictare solebat Rex Magnæ Britanniæ , *Ubi non est Episcopus ibi non est Rex*: cui quidem uti majorem curam & notitiam regni sui , quam novitio huic professori , libenter concedo , ita tamen rem ipsam in medio cogor relinquere.

In secunda Classe præjudiciorum cætera omitto , hoc tantum annotabo, quod Assert. II. Religionem suam afferit *Dissensiones non forvere, nec omnino talibus concuti, quæ fundamentale & essentiale discrimen inter ipsos statuam*. Fateor discrimen quod est inter Supralapsarios & Infra-lapsarios tanti non esse debere, ut propterea unitatem suæ sectæ scindant , et si alteri alteros gravant horribilibus consequentijs, ac non minus exsiccandis, quam adversarios ipsos ; Deum statui ab his insipientem, ab illis injustum. Causæ satis erat, ut dissensiones illæ fundamentales dicerentur , si quæsitus fuisset schismati

schismati prætextus, quemadmodum in alios quæsitus fuit. Sed aliter visum est Dordracenis Patribus; sua cuique manente sententia consensum iniverunt, qualem Herodes & Pontius Pilatus, ut consequentijs indulgerent adversus Remonstrantes, & caritatis meminiissent erga alios.

In 3. Classe Affert. I. g'oriatur, Ecclesiæ suas collapsum restituuisse disciplinam Ecclesiasticam. Sed, num in qua parte laudabili? num in melius mutati mores? num ut homines magis, quam ante (quo scilicet tempore Ecclesiastica disciplina collapsa jacebat) in timore ac tremore salutem suam operentur? an vero ut Ecclesiasticum Synedrium autoritate p'us polleat? Egregie vero restituta disciplina. A Deo nulla est Ecclesiæ potestas, nisi ad ædificationem: quare si vobis Magistratus tantum largiantur quantum ad ædificationem necesse est, quicquid insuper arrogatis sive erga populum, sive erga Clerum, invitis nonnunquam Magistratibus, quibus demonstrare a iuando nec vultis, nec potestis, res eas de quibus controversia est ad ædificationem pertinere; totum illud, inquam, de Magistratum sacra potestate detruncatis: etiam hanc disciplinæ partem, quam vos collapsum gloriarii restituisse.

In III. quæ deinde sequitur Ass. dum sic loqueris *Præcistat & ærelgia in cultu divino, in moribus, in conversatione, quam urget Religio nostra, &c.* ostendis ubique te tui similem esse, id est, vanum & jactabundum. Nam si eam intelligis præcistatem & ærelgiam quæ in eo consistit, ut homines conscientia suæ diligentem rationem habeant, quoad cultum Dei, quo ad mores, quoad conversationem totam, an est illa Religio, quæ hanc præcistatem non urget? Cur ergo tuæ vendicas in præjudicium aliarum, & quatenus ab alijs sejungitur, quod est ei cum alijs commune? Si quid aliud intelligas per hanc præcistatem, age dic quæta quæst. Catechetica, quo tove articulo Confessionis, quive autores Religionis tuæ de hac singulari præcistitate scripserint. Vix scio, an ullus inveniatur præter te ipsum, qui aliquid ea de re commentatus, aut commentus es; & hic, ne tibi gloriola impensi laboris periret, suppresso autore, tamen tuum ipsius egisti præconem. Quod si eo repexisti, uti ex animo credo, respondeo: *Gisbertum Voetium* solum, numerum non facere, ac ne quidem etiamnum inter primos esse cuius adhuc lateat messis in herba: addo, insanire hominem, si se

si se tantum Doctorem esse judicat, ut quod ipse scribit autoritatem habere velit Religionis totius.

Sequitur Contraremonstrantice Religionis elogium summum, quod Assert. V. sic *Vocetus* enunciat : *Quod pacem & Syncretismum sectarum in Europa, seu Christianismo nec molitur, nec probet, nec admittat Religio nostra, quasi proprio quodam genio errorum & sectarum omnium perpetua contumacia id perfectioni ejus derogare aut prejudicare non potest.* O quantum est in rebus inane ! dum fimos inanis gloriae meditatur, dum Religionem suam ad summum perfectionis fastigium extollere molitur. Quid enim hinc Lector colligit. Pacem & Syncretismum non moliri nihil derogat perfectioni Religionis : Ergo Syncretismum moliri derogaret ejus perfectioni, essetque minus perfecta, sed tamen vera. Aliud nihil hic video desiderari, nisi ut aperte tueatur, licitum esse Religioni sectas sine necessitate facere ; hoc est, Remonstrantes ex suo cœtu eūcere, id quidem non fuisse eis necessarium, sed arbitarium, nec tamen eo quicquam de perfectione Religionis Contra-Remonstrantice decedere, quamvis multum decedat caritati. Hæc inquam sententia verborum esse videtur, si rigide, quod in Thesibus fieri solet, accipiatur. Sed non est dubium, quin hoc loco, cum se captum videbit *Vocetus*, excogitet opportunam distinctionem. sc. se locutum esse tantum de ea perfectione, Religionis, quæ ad ejus veritatem conservandam satis est : quo sensu Philosophi dicunt perfectum esse hominem, etiamsi summa laboret imperfectione, morbis & calamitate omnis generis cumulatissimus, & nihil perfectionis habeat, nisi quod perfectus sit homo : ita se perfectam quoque vocasse Religionem, et si esset omnino vitiosissima, dum tamen ei veræ Religionis sive Ecclesiæ (nam hæc duo passim confundit) appellatio conveniret. Si id ita est, dico eum fucum facere hominibus dum sic in verbis ludit, & id ipsum tamen minime convenire cum ea gloriatione, quæ antecessit, Ecclesiæ suas disciplinam Ecclesiasticam restituisse. Sed concedamus impropiè locutum esse, subterfugiumque iterum ad manum esse. rem ipsam videamus. Hoccine tu laudi tribuis, si Religio aliqua ita sit errorum omnium & sectarum perpetua aversatrix, ut nec molitur, nec probet, nec admittat pacem, quam odiose Syncretismum, tu vocas, diversarum Professionum ? An omnes ergo errores sic avertari debet Ecclesia, ut schisma potius conliveret,

conserveret, quam toleret errorem, seu fundamentalē seu non fundamentalē Distinguendum fuerat. An omnes item sectas, seu jure, seu injuria constitutas? & hic distinguendum fuerat. Si sectarum posset numerus minui, salva cuique sua conscientia, cessarent iniqua judicia & odia, angereturque Christianitatis unicum signum caritas. At tu, qui non vis coire lectas illas quae in Europa sunt, vel, ut apertius loquar, illas earum quae in Europa sunt, cum vestra; cur pacem denegas ijs, quibus Deus non denegat salutem? ostende ex. gr. quo loco damnavit vel rejecit a se Christus homines viventes ad normam professionis Lutheranæ? quo loco qui vivunt ex præscripto professionis Anabaptisticæ? quo loco fere omnes alios dicam præter Pontificios? Ex quo concludendum est, quantum datur, semper admittendam, probandam, moliendam esse pacem: contra quam faciunt Contra-Remonstranti gregis quidam hoc tempore antesignani. Hæc tamen omnia eti aperte refutares, duplex adhuc supereret in assertione tua falsitas: una quod jaſtes, hunc esse quasi genium Religionis vestræ; altera, quod proprium. Constat enim, ac mirum est, tibi tanto historico non constare Reformatos non semel Lutheranis tum in superiore, tum in Inferiore Germania pacem Christianam obtulisse, & coijsseret, nisi quam Reformati tunc temporis judicabant esse caritatem, Lutherani pro Syncretismo fuissent aversati. Unde discas non tam proprium hunc esse genium vestræ Religionis, quin sit familiarior etiam alijs diversis: nam in Calvino, Beza, Bucero, Landtgravio Hassia, alijsque præstantissimis alium, ac tui dissimilem deprehendes. Falsum ergo utrumque est, nisi dicas vos non admittere, nec probare, nec moliri tales conciliations, postquam primus conatus non successit, ex illo tempore evasisse tam rigidos, ut nihil habeatis in animo, nisi jus vestrum persequi. Sed & hoc iniquum est: Nec enim licet quod per se fundamentalē ac necessarium non est, in futurum pro necessario velle habere, & quasi abjurare quod ante pie conatus sis; id fieri non potest nisi ab eo qui schismaticum se esse fateatur.

Sed age, de nostris hominibus loquamur paulo clarius, & probe-  
mus, Contraremonstrantes esse Schismatics. Si fratres duo eodem  
utantur contubernio, inter quos lis oriatur, quæ possit ægre com-  
poni, sed tamē cohabitent, donec alter valentior, non modo verbis,  
sed & verberibus expellat alterū, nec eum deinceps sub testū recipere velit, nisi fustibus dedolandū; uter horum autor erit secessionis.

Certe qui expulit alterum. Ergo qui schisma fecerunt, sunt Contra-Remonstrantes, quod fratres invitos supplicesque fulmine autoritatis Synodalnis, tum insuper edictis, atque executionibus horrendis persecuti sint. Res clamat: sed una restat quæstio, An ad hanc secessionem faciendam causas habuerint justas: si non justas, manifesto tenentur schismatis: si justas, cur eas non proferunt? Dissideri non possunt etiam nostram sententiam esse veterem, fuisse in ea varios Ecclesiæ Christianæ patres. Cur ergo non sit tolerabilis, si nullus in ea est error fundamentalis: si fundamentalis error inest, ostendant eam alicubi ad Veteribus damnatam: a' i' qui necesse est, eos existimare, Synodum Dordracenam primam ac solam intellexisse hæc esse fundamentalia, quæ per tota secula fundamentalia non fuere. Declararent etiam, qua conscientia ad pacem & tolerantiam Christianam Lutheranos ipsi ante invitaverint: tum qua fronte Lutherum ipsum & Melanchthonem, Reformatis Doctoribus annumerarint? cum Melanchthonem dico, dico simul infinitos ejus discipulos, ut qui fuerit totius Germaniæ communis Doctor. Cur in illis tolerasti, quod anathemate damnatis in nobis? si fundamentalia sunt, cur tolerasti? si non sunt, cur scinditis Ecclesiam? Quod ad Melanchthonem attinet, eum abdicasse sententiam, quam Contra-Remonstrantes tuentur, nemo negat: de Luthero nonnulli dubitant; quippe qui ipse de *Servo arbitrio* librum edidit, nec id scriptum publice unquam revocavit. facile est respondere, et si non eo revocavit modo, quo scandalum potuisset dare infirmioribus, & totam Reformationem suspicione temeritatis gravare, tamen varijs locis non obscura reliquissæ suæ mentis indicia; e quibus unum citabo e c. 26. Gen. tom. 6. Witteberg. Post meam mortem multi meos libros, inquit, in medium proferent & inde omnis generis errores & deliria sua confirmabunt. Scripti autem inter reliqua, *Est omnia absoluta & necessaria*; sed simul addidi, quod appetiendus sit Deus revelatus. Vos igitur, qui nunc me auditis, memineritis, me hoc docuisse, non esse inquirendum de Prædestinatione Dei absconditi, sed in ea acquiescendum esse, quæ revelatur per vocacionem & ministerium verbi. Satis apparet dolere homini de eo quod scripsit, ac nominatim de Prædestinatione illa absoluta, verenti ne omnis generis errores & deliria inde confirmentur. Quam autem intelligit quælo prædestinationem absconditi Dei nisi vestram, quam & ipse ante docuerat, ex qua vos vultis omnem consolationem & fidei robur

robur deduci? eam vetat inquire, aliam v. substitui, quæ per vocationem & ministerium verbi revelatur, cum illa reveletur nullo modo. Unde certum est, neque fide eam posse intelligi. Qui sic sentit an non subtruit omnia Synodi vestræ fundamenta? Et tamen hunc virum Calvinus in Isaiam c. 57. v. 1. prophetam Dei fuisse pronunciat, etiam eo tempore quo ista fortasse concionabatur, hoc est, non multo ante quam subductus est e mundo. Quo quidem tempore etsi nihil ipse revocasset, imo etsi in ejusdem sententiæ confirmatione constantissimus fuisset, tamen vel hoc solum ad Contra Remonstrantes confutandos sufficit, quod indivisum habuit omnium suorum laborum socium Melanchthonem; quem in Christo tam charum habere non licuisset, si is dogmata fidei fundamentalia eyeretebat. & in totam Germaniam tam pestiferum virus, quam huic Synodo Dordracenæ visum est, cum summo omnium applausu spargebat. Quod si & Melanchthon Voetio fordet, percurrat modo Martyrologium ipsum Reformatorum, inventet inibi & Melanchthonianos, id est, Remonstrantice farinæ homines. Adeo quo ojm ipsi pro Martyribus laudarunt, nunc mutata velificatione in hæreticos deformat. Ex quibus si non evidenter satis apparet, hos homines schismaticos esse, nescio profecto quibus argumentis quisquam schismatis possit accusari.

Hactenus ergo Voetius quedam adversus suam Religionem nostrorum præjudicia commemoravit: sed & sunt alia, eaque non parvi momenti, quæ plurimos habent pessime: quæ sive studio dissimulat, sive imprudens omittit, summatim commemoranda sunt, ut intelligat Lector, quam digne collapla Ecclesiæ Discipina ab his mortalibus restituta sit in integrum. Ante perfectam & confirmatam secessionem per annos a iquot nullum genus fuit maledicti, nec mendacijs, quod non cuvis in Remonstrantes impune licuerit: a Pontificejs non multum eos discrepare, & clandestinas ab hoste pecunias accipere cuvis in ore erat. Ostende, quis hoc nomine ullam sustinuit censuram? ostende adeo vel unum Concionatorem e vestris illis propugnatoribus, & Zelotis, quorum fuisti tunc etiam de numero, qui non conatus sit has suspiciones augere. Successit Geldrica Synodus, in qua non dicam quam malis artibus usi sitis, ut suffragiorum numero potiores evaderetis, sed hoc tantum, quod in eadem Henricus Arnoldi nomine ac mandato Synodi Suyd-Hollandicæ, id est puto, tuo quoque ipsius nomine inter

inter ceteros, cum execratione detestatus sit ea ipsissima axioma-  
ta quæ in Hollandia medullam clamabatis esse Euangelij, per aper-  
tum mendacium officiosum pro tempore, vel per æquivocationes,  
ac mentales reservationes, quas ipse jam testaris in hisce Thesibus  
repugnare simplicitati Christianæ, & quales tu quantumvis subtilis  
nunquam probabis, Spiritum S. ulli horum dictasse. In Dordra-  
cena Synodo quæ tota constabat ex Contra-Remonstrantibus, cum  
eodem citari essent nostri cum hac amplissima formula, *ut causam  
suam proponerent, explicarent, & defendarent, quantum ipsi posserent, &  
necessarum judicarent, ubi ad rem ventum esset, nihil minus quam  
ex fide fuit actum.* tot machine & fraudes adhibitæ, ut ipsos Ve-  
nerandissimos patres e schola Simonia crederes prodijisse. Post-  
quam ibi i lud horribile Mysterium iniquitatis, schisma inquam,  
decretum est, in ex ium mox sunt missi Remonstrantes tanta cum  
sævitia, quanta esse potest maxima; adeo graves poenæ sunt con-  
stitutæ & inflictæ non tantum ijs, qui ipsos hospitio exceperint,  
vel concionantes audivissent, vel scripta legissent, sed ipsis adeo  
uxoribus, quæ epistolas a maritis accepissent; et si nihil in ilis con-  
tineretur ulla reprehensione dignum. His modis sævitum est in  
homines etiam simplicissimos, nulla habita ratione conscientiæ sed  
folius sententiæ. Quæ omnia tantum abestis a revocando, ut do-  
leatis etiamnum eadem vobis non licere. Cur autem optatis lice-  
re? scilicet ad propugnandam eam doctrinam, quam tamen plu-  
rimos vestrum pudet vel in concione vel in colloquio sincere pro-  
fiteri, ut agnosci possit eos conscientia reclamante hæc omnia mo-  
liri non ob Euangelium Christi, cuius non est quod quenquam  
pudeat; sed ob hominum commenta, quorum ideo tantum pu-  
det, quod cum Euangelio Christi non satis perspicue conveniunt.  
Mitto ca umrias etiam quotidianas & mendacia, ob quæ nulli  
censura intentatur, quia ad solos scilicet Remonstrantes deprimen-  
dos vobis est utilis. Te appello ipsum, serio responde, an religio  
Vera esse possit, ex ea parte qua talibus præsidij opus habet? Et  
vis videre quantum his præjudicijs multi moveantur? Purum sunt  
homines stupidi illi quidem, sed tamen ingenui in bivio Religio-  
num, qui cum destituantur nostra institutione, vobis autem per  
conscientiam se adjungere non possunt, non ob ea præjudicia quæ  
tu commemorasti, quorum nulla curant, sed ob hæc postrema a me  
allegata, nullo negotio concedunt omnes passim per hasce Provin-  
cias

cias in castra Pontificiorum. Hic fructus est Synodi vestrae Dor- dracense, præter multorum Epicureismum satis manifestum. In- terim vero an pereat frater infirmus, pro quo mortuus est Christus parvi penditis: at Dei refert qui eos redemit, & refert D.D. Ordinum ut subditos habeant fideliores. Quod si vobis cordi est serio omnia tollere præjudicia Religionis, valeat inutilis Disputatio, subtilis distinctio, ingeniosa exceptio: illos mortales, qui horum nihil intelligunt, in æternum non movebunt: sed utinam hoc sit vobis primam & præcipuum studium, a carnis operibus, calumnia, inquam, odio, ambitione, saevitiaque vos ad Deum convertere toto corde & tota anima; ut quos abigitis nunc apertissima improbitate, per pietatis lucem cogatis laudare Patrem vestrum, qui in coelis est. Si id fiat, affirmo, vos longe florentiores habituros esse Ecclesias, quam si perpetui sitis omnium, vel minimorum erro- rum ~~debet~~ portentis.

Aggregiamur nunc alteram Disputationis partem, quæ complec- eatur *Corollaria*. inter prima ea quæ sunt Theologica. Paradoxum 2. ita habet *Bona opera ex usu Scripturæ aliquo modo dici possunt causa vite æternæ* 2. Cor. 4. v. 17. Philipp. 2. v. 12. &c. Attende quid dicas. Primum si vere dicitur, addo etiam ex usu Scripturæ, bona opera aliquomodo causas esse vitæ æternæ; cur nostri, qui tamen ab hoc improprio & odioso verbo religiose abstinent, tam acerbas susti- nent calumnias a vestris, quod velint per bona opera sua servari, quasi id præjudicet gratiæ Christi? Cur tu ipse uteris hoc argu- mento Disp. 2. Th. 2. Electionem esse per gratiam, ergo non per fidem? cum hic statuas vitam æternam, quæ donum Dei est per Christum Jesum Dominum nostrum, esse per opera, addas- que ne speciem quidem aut umbram argumenti pro merito hinc peti posse. Ergo & cum gravare liber Remonstrantes, erit tibi illud contra Scripturam, & cum inauguralem lauream affectas tam eris vanus, ut dicas id ipsum non modo secundum Scriptu- ram esse, sed etiam *ex usu Scripture*, quamvis ipse fatearis esse Para- doxum. Cavete vobis Contra-Remonstrantes ab hoc Para- doxo capite: nam si plures sint eadem prophetandi libertate ad Quodlibeta & Paradoxa, non diu erit, quin pro paucis in Reli- gione dissensionibus, habeatis plurimas: tum si insuper sibi blandiantur eadem præcistitate, quam hic nusquam non præ se fert, id est, si sunt homines tam sui amantes quam ipse, nou-

dubitari potest, quin vestra Religio brevi & alterum schismatis  
fœrum in lucem edat.

Theologiæ Naturalis titulus duo habet Paradoxa, quorum prius  
hoc est: *U*is rationis si in *Theologia supernaturali* locum non habeat,  
*n*ulla erit *Theologia super-naturalis*, subjective scil. accepta. Si men-  
tem ejus bene assequor, statuit, Eum qui usum rationis in Theo-  
logia non admittit, ipsum Theologum esse non posse. quod si hoc  
de eo tantum inteligi debet, qui nulla omnino ratione utatur in  
Scripturæ tractatione, dico Talem hominem non inveniri ul-  
quam in toto terrarum orbe, vel si inveniatur, omnes ac singu-  
las lectas, imo fere omnes ac singulos homines, testari eum  
Theologum non esse. Itaque hoc sensu si proposuit suam senten-  
tiam pro paradoxa, imposuit populo, ut paradoxus videretur.  
Sed si contra quam multi scientiunt judicet, Eum Theologum esse  
non posse, qui rationem facile contemnit in dogmatis suæ Re-  
ligionis stabiendi aut propugnandi; apparebit quantus ipse  
*Voetius* suo iudicio sit Theologus, ubi hoc scriptum refutaverit:  
apparebit, inquam, an ea quæ ratio ipsa evidentissima dictat, pa-  
tiatur in sua *Theologia supernaturali* locum habere. Præterea  
nisi ad manum habeat opportunam aliquam distinctionem ex ob-  
scuritate sui styli petitam; dico, hoc paradoxon direcťe pug-  
nare cum eo quod asseruit *Praejudiciorum Classe 3. Assert. VI.*  
ibi enim statuit, et si quidam ex infami methodo, & vertiginoso  
postulato usum ratiocinationis & consequentiarum in tractandis  
Theologicis abijcerent, non tamen causæ bonitati & controversiarum  
*ex unico fidei principio* (*sacra scil. scriptura*) perirraktioni quicquam  
detrahi: id est, si interpreteris, vel ipsos illos posse abunde tra-  
ctare controversias ac totam Religionis causam ex S. Scriptura,  
atque ita Theologos veros esse: vel saltē, alios, etiam in om-  
nibus ijs quæ controversa sunt, posse his hominibus ex sola Scrip-  
tura sacra sic satisfacere, ut appareat Theologos esse, et si usus ratio-  
nis in *Theologia supernaturali* locum non haberet. Discat *Voetius*  
secum ipse consentire.

Sequitur alterum: *Speculatively nulli sunt Athei qui certo persuasi-*  
*sint, non esse Deum.* Temere non minus, quam confidenter. Qui  
scis *Voeti*, nullos esse, cum nemo sciat quid in homine sive in alijs  
hominibus sit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est & cum multi  
omnia ea & dixerint, & fecerint, quibus se speculative atheos  
demon-

demonstrare possent. Temeritatem tuam hic p'ane testatam facis contra universalem omnium gentium , religionum , etatum (ut tuo verbo atar) experientiam : addam etiam , quod gravius est , contra Sacram Scripturam. Annon enim ex impia malorum vita colligit Propheta , stultum cum animo suo statuere, Non est Deus ? quo jure ita colligit, nisi præsupponat fieri posse , ut eo stultiæ prolabantur homines , ut tam stulte colligant. Quid ? an fieri non potest , ut aliquando vel aliquamdiu impij in eo errore versentur ut non credant Deum esse ullum , omniaque a fortuna existere ? Vereor nimis multos esse. An non potest fieri , ut , si per hypothesin concedant Deum esse , tamen nihil omnino credant de ejus circa singularia Providentia , quod tantuadem est ac Deum ipsum negare ? qui enim Deum dicitis colendum & venerandum Numen ipso vocabulo agnoscit. Vereor hujus generis esse infinitos. Fortasse dices , illos reclamante atque invita conscientia in eos errores impingere , itaque practice tantum Atheos esse cum speculative a conscientia ipsa redarguantur. Hoc si dicas , regeram esse petitionem principij , probandum esse. quin scripturam ipsam de multis contra testari , eos suaviter in hoc errore sibi esse plansuros ac serio risuros , quod & multi faciunt , aliorum pietatem. Si error est , jam speculativus est ; si suavis , jam cessat conscientia. Quod si exempla colligere liberet eorum , qui hoc ipso sensu athei dicuntur , sive ex Sacra pagina , sive ex autoribus profanis , integrarium fere nationum , imo totius mundi veteris mole te obruerem : nam practice impium esse , ex eo quod speculativæ impietati indulgeatur , proficitur. quin tuo te testimonio revincam , qui cum dicas Corollar. Theolog. II. *Multos Deos credere idem esse , ac nullum Deum credere ; cogeris statuere , omnes eos qui olim atque etiamnum hodie credunt multos esse Deos , speculative Atheos esse.* Sed neglecta tua autoritate , quæ parvi momenti est apud Vestros , nedum apud alios , redde mihi solidam rationem , cum doceatis Deum homines nonnullos in reprobum dare sensum , id est , reprobum eis sensum indere ob antecedentia peccata , cur non posset hoc ipso eos peccato indurare , ut conscientiam plane cauteriatam habeant , nec amplius credant Deum esse ?

In Catecheticis & Liturgicis ita exsultat , ut citra dubium se

oribus quoque Contra-Remonstrantibus palmarum longe præcipere existimet. quippe qui non modo Catechesis universam uno Corollario defendendam intra brevis horæ spacium animose suscipit, quam tamen nunc patiemur quiescere: sed & Coroll. I. *Nihil melius dictum tuetur quam illud Catechis.* quest. 5. *Natura propensus sum ad odium Dei & proximi.* Et quest. 60. Et etiamnum ad omne malum propensus sum. Et quest. 114. Sanctissimi habent tantum exigua initia obedientie. Itaque nihil absurdius decantatis variorum Censuris, quæ in hac verba imprimis incurvunt. Et Coroll. II. *Veram humilitatem & devotionem sapere illas preces &c. in ore fidelium & regenitorum.* Propensi ad omne malum, inutiles ad bonum. Cum nihil absurdius esse velit, quam censuras omnium quibus hæc minus arrident, fas erat ut diceret esse eas absurdas, quo sensu ab ipsis proponuntur, non autem in eum sensum detortas, quem sibi ipse fingit. Quod ad Remonstrantes igitur attinet, non negabant eas preces, aliasque phrases, ex humilitate ac devotione erga Deum primitus profectas esse, plurimosque iisdem esse piissime usos, imo nec negabant, ipsas hasce commode explicatas nihil in se falsitatis continere, sed duriusculas esse, & in graviam infirmorum emolliendas sibi videri: quemadmodum considerationes ipsorum in Synodo Dordracena exhibitæ ad Cateches. quest. 5. diserte testantur; nec inde multum ab ludunt, quæ ad quest. 60. ac 114. item annotata sunt, ut ostendatur eas phrases stricte sumptas esse inconcinnas. Contra-Remonstrantes reliqui hic auscultare noluerunt: hæc tolerabilia satis esse, mutari non debere, aut fortasse non posse sine aliqua scandali suspicione: sed *Voetus* altius assurgit, *Nihil melius dictum esse* clamat. Paradoxum est. Ostende mihi *Voeti* competenti numero autores in Ecclesia Tua Reformata qui idem testantur: nisi facis, vanus & ridiculus es, qui hæc ita extollas non ex vera humilitate & devotione, ut illi priores, sed ex contentionis studio: in quo tamen scito nihil gratius nobis esse, quam vos vestra somnia sic vulgo commendare, quo facilissime ipsos ab alienare possunt. Venio ad rem ipsam. Cum Remonstrantium Consideratio potissima fuerit circa phrasin, tu vero contra contendas, nihil melius dici, quid opus erat in ipsa Disputatione te eas phrases explicare per alias clariiores, quod aliquoties conatus fuisti? Nam si id opus erat, jam per se liquet falsum esse, quod nihil melius dictum sit: relinquitus

qultus enim fuisse obscurum, & jure in eo Remonstrantes perspicuitatem desiderasse. Sed insuper tam miserum te ibi athletam ostendisti, ut mihi suspicionem feceris. Ea dicta non tantum obscura esse, verum etiam falsa, quia non ausus fuisti, ea vera esse defendere, nisi virtualiter, quam distinctionem non millesimus vestrorum auditorum intelligit, ac fortasse ne tu quidem ipse. Age *Votii* ostende qui sunt illi i interpretes in Catechesim vestram qui testentur, nos natura virtualiter tantum propensos esse ad odium Dei & proximi; Virtualiterque tantum etiamnum ad omne malum propensos. Nam id quod tu dicas, pro totius Religionis Vestræ expositione me admirere, stultum esset: ostende inquam, illum unicum esse Catecheseos sensum, quem fortasse primus omnium *Votius* observavit, quemque nec Synodus nec Ecclesia hactenus approbavit. Age vero ostende etiam Remonstrantes hoc sensu ista unquam negasse. Possumus etiam nos statuere Virtualiter homines ad omne malum propensos esse: sed tum erit explicandum, quid argumentum illad virtualitatis sibi velit. Ergo non perspicue defendisti, sed intricasti tantum ipsum negotium, quia cum veritate expedire non poteras. Et quid si urgeam te hoc argumento; Adamus in primo integratatis statu virtualiter etiam propensus fuit ad omne malum. Quid regeres? An non necesse erit ut Td Virtualiter nova distinctione elucescet? Et qua quæsto? ubi sepius atramentum addideris, tum vero apparebit, Nihil stultius, nihil ineptius dici potuisse, quam hoc ipsum tuum Nihil melius.

Et quidem videris mihi hanc culpam tua sponte agnovisse, cum ad 19. Septemb. in aliena disputatione eadem Corollaria de novo propositisti: scilicet, ut quod ante peccatum erat nova quadam distinctione, quam fortasse interim excoxitavisti, speciose corrigeres. si enim confidis, te ad propositas objections abunde & perspicue expectationi Auditorum satisfecisse, quid opus erat prima occasione in disputationem de alia materia haec eadem ingerere? Video quid responsurus sis: nempe, te de novo irritatum fuisse, prodijisse interim cuiusdam lucifugæ epistolare compendium vernacula lingua, quo perstringaris quasi ad ludicram ostentationem haec Catechetica & Liturgica Corollaria, itemque illa de Futurorum contingentium veritate proposueris, quæ tibi ad seriam defensionem Catecheseos & Liturgiæ Vestræ suscepta sint. Si eam ob causam moveris *Votii*, necesse est, ut totam tuam quasi inauguralem disputa-

tionem iterum proponas, cum in illo scripto dicaris & vere dicaris, ad ostentationem proposuisse fere totas Theses. Sed tu dissimilatis cæteris ea exceptis, quæ tuam causam cū Ecclesiæ favorabili specie conjugunt, ut si quis audeat tuam vanitatem & eruditionis ostentationem carpere, mox toti Ecclesiæ contumeliam facere videatur. Videamus autem, quam sincere, & qua conditione adversarios in arenam denuo voces. Vocat tuus ille Respondens, sed ut quivis intelligit de Consilio Praesidis Gisberti Voetij ad disputationem, *Si quis est, qui curis secundis, hoc est, melioribus argumentis in forma putat se aliquid posse.* Ubi est illud auditum ut vel typis excudi debeat, non alia conditione opponendum esse, quam syllogismis in forma. Vincere causam Lector? quia non bene successit Voetio respondere ad materiam. Ea proposita fuerunt, ex quibus post fructu tentatas responsiones ac solutiones aliquot non se poterat aliter honeste expedire, quam ut provocaret ad Syllogisticam formam: quæ aliter proponerentur, ac potissimum per similitudines, ea explicare quidem, sed non probare. Credite si Voetio gratificari vultis: & concedite ei facilem victoriam: nam & hanc stipulatur, dum haec etiam adjicit: *Alioquin silentium ejus utiam in lucro & triumpho veritatis Ecclesiarum nostrarum deputabimus.* Crede mihi, Voeti, non interest veritatis Ecclesiarum vestrarum, ut in lucro deputent illud paradoxum pronunciatum quod tu jam iterata disputatione ventilandum proponis. *Nihil melius dictum esse.* Habe tibi tuam arrogantiam, aut ostende, cum quo sit tibi communis. Sed silentium adversarij tam facile in lucro & triumpho deputare Ecclesiæ suæ, quid est aliud quam stultissimo & injuriosissimo præjudicio velle gravare Ecclesiæ alias? perinde eum est ac si Voetius per suam subornatum Respondentem proclamat, nisi ad diem & horam ac locum ex arbitrio D. Gisberti Voetij destinatum Remonstrantes, quibusunque suæ Religionis honor cordi est, omnibus suis negotijs posthabitis, & quidem instructi syllogismis in forma, propositum esse eidem Reverendo Viro omnibusque ejus pullis, quos favore suo dignatur, ipsorum Religionem hoc præjudicio in perpetuum gravare. En virum qui de Præjudicijs veræ Religionis disputat, qui nullis omnino indulget præjudicijs, quique in Religione nihil videt nisi Religionem. At ego tibi pro Remonstrantibus illis vicissim aliud reponam. Rident te suaviter, satis habent, quod primo insulto tuam existimationem prostraverint, nec libet victoriam partam, iniqua præsertim condi-

conditione, dенно quasi in dubium vocare, cum tu eum in finem istam iteratam disputationem reparandæ existimationi tuz exco-  
gitaveris.

Jam tamen, ne sine modo doleas, ipse ego tibi justissimam & perquam opportunam occasionem præbeo corrigendi, quem com-  
misisti, errorem. Proponam tibi argumenta, & quidem quia sic  
vis in forma, ut eorum solutionem diuicidam atque apertam profe-  
ras, quæ non conclusa maneat intra breves auditorij tui parietes,  
sed ad omnes Ecclesiæ tuæ alumnos, si ipse velis, pervenire possit.  
Quod falso est non est optime dictum: At hæc quatuor dogmata  
singula falsa sunt: Ergo non sunt optime dicta. Probatur minor.  
Quod est præter rationem, & præter Scripturam, id falso est:  
Sed hæc quatuor dogmata singula sunt præter rationem, & præter  
Scripturam: Ergo hæc quatuor dogmata singula falsa sunt. Pro-  
batur minor quoad prius membrum. Si hæc quatuor dogmata non  
essent singula præter rationem, Ergo aliquis fuisset inter Ethinicos,  
vel etiamnum esset, vel esset futurus, qui natura duce posset intelligi-  
gere ac profiteretur hæc ipsa dogmata: Sed falso consequens:  
Ergo & antecedens. Probatur eadem minor quoad alterum mem-  
brum. Quæ nec totidem verbis in scriptura continentur, nec per  
bonam consequentiam ex scriptura deducuntur, ea sunt præter  
scripturam: Sed hæc quatuor dogmata omnia & singula nec toti-  
dem verbis in scriptura continentur, nec per bonam consequentiam  
ex scriptura deducuntur: Ergo sunt præter scripturam. Minor per  
se apparet quo ad totidem verba: quoad bonam consequentiam,  
sic probo. Si nulli sunt loca sacræ scripturæ ex quibus fieri possunt  
Syllogismi, qui habeant ista ipsa dogmata pro conclusione, Ergo ea  
dogmata non deducuntur ex scriptura per bonam consequentiam:  
Sed verum prius: ergo & posterius. Hic Vœtius cogit negare  
minorem, id est, si *veritas latebras non querit* cogitur in apertum pro-  
fettere quatuor scripturæ loca aut plura, e quibus ipse in forma deduc-  
cat pro conclusione hæc ipsa quatuor dogmata. Quod faciet puto,  
cum poterit. Si autem non facit, ac satis esse vult suam negantis  
autoritatem (quemadmodum solent in Scholis & Academijs præsi-  
des triumphare si modo non refutentur, id est, se victores judicare,  
si tantum æquo marte ex ancipiti prælio discedant) statuam ego  
quoque tropæum non minus illo: Nihil pejus dictum, quam illud  
Catech. quæst. 5. Natura propensus sum. Et quæst. 114. Sanctissimi.  
Et quæst.

Et quæst. 60. Et etiamnum ad omne malum propensus sum. Et  
 quæst. 114. Sanctissimi habent tantum exigua initia, itaque nihil  
 rectius decantatis variorum censuris quæ in hæc verba imprimis  
 incurunt. idem judicandum esse de quarto illo Propensi ad omne  
 malum, inutiles ad bonum. Putasne magnifice rem gestam esse,  
 cum adversarium parem a te dimittis? At ego tamen ut vobis  
 laryam detrahám duo Scripturæ loca proponam, quibus multis  
 hominibus imponitis, unum ex V. Testamento, alterum ex Novo.  
 Ex illo citatis dictum Eliae, *omnes iusti & nostræ tangunt pannus  
 menstruatae.* egregio argumento, cum ex eo ipso quo prophetæ  
 extraordinariam populi culpam describit, vos ordinariam hominis  
 conditionem demonstratis: quasi eo loco diceret prophetæ populi  
 totius nomine; Domine Deus justa est tua in nos poena, cum  
 simus hac parte qua culpam fatemur parcs etiam sanctissimis Pa-  
 triarchis. Alter locus ex Testamento novo: *Ite & vos quum feceritis  
 omnia que injuncta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, quod debu-  
 imus facere, fecimus.* Scilicet, quia semper servi inutiles sumus, col-  
 ligetis, nos ad omne malum propensos esse, inutilesque ad bonum.  
 Colligite sane inutiles servos nos esse, sed ne in conclusione adji-  
 cite plus quam sit in præmissis, nos esse inutiles ad bonum. Nam  
 id quidem e diametro repugnat ipsi scopo ac verbis Iesu Christi,  
 qui vult nos inutiles esse servos, etiam tum cum omnia fecerimus  
 quæ nobis injuncta sunt; non propterea quod tantum habeamus  
 exiguum initium obedientiæ, quin etiam si totam obedientiam  
 fidelissime præstaremus, tamen, inquit, dicite servi inutiles sumus,  
 quare autem? non quia quod debuimus non fecimus: sed quia  
 quod debuimus facere id tantum & non amplius fecimus. Si fe-  
 cissimus utilia, quæ essent indebita, profecto jam inutiles servos  
 nos ipsos non deberemus dicere, sed cum nihil aliud nisi officium  
 nostrum fecerimus, nihil est quod Dominus servis hujusmodi  
 gratias agat, nihil habent ipsi quod velut supererogatorium in  
 rationes referre possint; tum insuper quia adhuc pensum non  
 absolverunt, & non parum adhuc operæ supereft, tantisper illis  
 sane omnis gloriatio adimitur, ne te possint utiles esse servos  
 jactare. Videtis credo quam parum præsidij sit in illo loco, quem  
 ego existimo quarti vestri axiomatis esse apud plerisque unicum  
 fundatum. Sed an tu evidenter proferre possis, aliquantis  
 per exspectandum erit, Ego vero, ex superabundanti ut loquun-  
 tur,

tur, recipio si tu protuleris unum locum, e quo verisimiliter aliquid credas te posse concludere, me tibi repositorum esse profingulis decem in contrarium: quales sunt v. gaudi dicuntur homines regeniti non tantum habere exigua initia obedientiae, sed perfecti esse. quo quid amplius vis dici? Nam quibus argumentis postulas, me tibi probare hominem plusquam exigua initia habere, nisi si evidenter ostendam, eos multum proscire, ac multis locis ob id perfectos vocari, tum coram Deo tum coram hominibus? Et, vis exemplum ejus perfectionis? Rex Iosias dicitur ad Deum reversus toto corde suo, & tota anima sua, & totis viribus suis: & quidem juxta universam Legem Mosis.

**2. Reg. 23. 25.** in quo statu vitae perduravit usque ad finem. Si hoc vobis est habere tantum exiguum initium obedientiae praestandae, quid est ergo quod Deus amplius ab homine petit? Impossibilia petit, inquitis. Ita vos loquimini: nulquam vero sacra pagina, quae jugum Christi suave, & præcepta ejus non gravia esse testatur **1. Joan. 5. 5.** Conferat Lector cum his locis etiam hæc **2. Paralip. 15. 17.** Cor Aſa erat perfectum omnibus diebus ipsis, **1. Reg. 11. 34.** & **14. 8.** & **15. 12.** **Luc. 1. 2.** **Gal. 5. 24.** præter alia multa de quibus fortasse amplior dabitur differendi occasio si quid *Gibberus Voerius* adversus hæc protulerit. Quem tamen moneo, ut statum controversiae bene attendat: Nam etiā hæc a me allegata omnia suo judicio solide refutaret, evinceret tantum ea dogmata esse vera, nondum evinceret quod ei maxime incumbit ad probationem *Nihil melius dici.*

Pneumatologica & Prophetica transeant: [nam de Paradoxo mundi novissimo die nou abolendi, quantum quidem ad Voerianam ambitionem ac temeritatem revincendam attinet, satis supra dictum est] Sequuntur Practica ubi Corollar. II. sic loquitur: *In quocunque desirionis & temptationis paroxysmo fani fidetes, semper tamen indubitate fidei & regenerationes viveremus.* Sic arguuntur ipsis commonstrari possunt: id est, ut clarius proponamus hominis palliatam sententiam, Si quis unquam ullo tempore fidelis fuit, eum, etiā incidat in quævis horrenda peccata, tamen non tantum vere fidelem manere, sed insuper illo quoque ipso tempore ei commonstrari posse non probabilia tantum, sed indubitate

fidei signa. Quæso, cum nescias ipse an frater tuus electus sit nec ne, item an fidelis unquam vel sit vel fuerit, quomodo poteris tu ipsi fidei suæ certa indicia commonstrare? Quod si iudicas ex caritate, ubi sunt ergo indubitate indicia: judicium caritatis illud est, quod libenter in meliorem partem interpretatur id de quo aliqui non satis constat. Ergo tale judicium, ostendit non certum esse judicium. tum præterea velim ostendi mibi ex Sacra Scriptura locum, qui jubeat nos eo usque etiam ex charitate judicare, ut eos fideles existimemus, qui operibus ipsis declarant se esse infideles. nam pro illis etiam tunc Deum esse orandum fateor, sed tunc etiam ipsis commonstrare velle quod fideles sint, mibi sit religio, nisi *Voetius* ostendat fideles Iesu Christi Apostolos id vel jussisse, vel exemplo suo commendasse.

Paulo post Coroll. IV. sequitur ibidem; *In temptationum paroxysmis habitus fidei non minuitur, sed astus impediuntur:* sensus est, fidelem qui labitur in peccata quæcunque & quantacunque, fidelem tamen esse & manere, cum habitus fidei non tollatur; tum etiam, eundem fidelem esse appellandum, cum denominationes peti soleant non ab aliquot actionibus, sed ab habitu, sicuti justus, ebriosus, iracundus, similesque alij denominantur non a virtutum aut vitiorum actione, sed ab inherentे habitu. quanquam autem alij habitus virtutum vitiorumve tolli possunt, si homo se ad contrarias actiones multum applicet, tamen aliter esse quoad habitum fidei: nam hunc ait *Voetius* non modo per peccata non tolli, sed ne quidem minui. Si Apostolus Paulus idem quoque credidit, mirum est, cur quodam loco scriptum reliquerit nobis in exemplum, Fidem servavi. Sed hinc alia quoque sequuntur absurdia: Nam, si Deo placemus per habitum fidei, secundum hanc doctrinam necesse erit, fideles Deo non minus placere dum horribilia committunt peccata, quam dum ejus præceptis ex animo incumbunt, quia fidei habitus nihil minuitur, inquit *Voetius*. Quod si *Voetius* negat hanc consequentiam, explicit mihi, qualis ea sit fides per quam Deo non placeamus: Alterum absurdum: Cum Apostolus moneat servari bonam conscientiam, tanquam si mala conscientia cum fide consistere non possit, quod & per exempla quorundam illustrat; ex hac doctrina sequitur, et si conscientia vasta-

fia vestetur, habitum tamen fidei remanere. Estne hoc Corollarium practicum ad pietatem promovendam? Ut hunc errorum perniciosissimum a fundamentis convellamus, sciendum, distinctionem hanc inter habitum & rationes quo ad consequentias quas inde nequit, in Ethica ipsa, nedum in Theologia, admodum futilem & absurdam esse. Quid enim Aristoteles molitus sit, facile video: quod illi ut Ethnico & gloriæ humanæ studio condonari potest; sed si pietatem vere amamus, ejus opinio odio digna est, cum virtutes & vitia habitus scilicet animorum esse vult, non actiones. Perniciosa sententia: quia concedit hominibus nonnullam, & fortasse non parvam peccandi licentiam, illæsa tamen ipsa virtute, quæ scilicet sit habitus, quæque actionibus aliquot non tollatur. Ecquid erit, quod eum qui in hac sententia sit, possit a male agendo, cum opportunum est, vel minimum revocare? Nihil quicquam. Ergo virtutem ipsam Aristoteles non docet, sed illi qui scriptum reliquerunt omnem virtutis laudem in actione consistere: sic ergo virtutum quoque crimen totum consistit in actione. Quod facile probari potest. Quid enim lex sive divina, sive humana mandat, quid vetat, quid præmio, quidve supplicio remuneratur, nisi solas actiones? ubi fit in sacris litteris ulla sive honorum, sive malorum habituum mentio? sic inter homines, quis est qui homini pravo adjudicat præmium respectu habitus inhærentis, vel supplicio dignum nebulonem judicat propter habitum? Laudamus quidem autem virtuperamus habitus, id est, ratione habituum denominare solemus homines: sed hoc nihil ad judicem, qui nominum seu vocabulorum nullam rationem habet, actiones solas & præmio invitatis, & territat peenis. itaque & Deus habitum inhærentem fidei a nobis nullum requirit, neque eum respicit. An non tibi horribile videtur, me hæc tam intrepide proferre in medium? Audi ergo quis Deo fidelis sit: is secundum sacras litteras, qui vocanti Deo auctoravit fidelis dicitur, quamdiu ea vocatione secundum Dei ipsius judicium se non indigne gerit. Verum si peccatum facit, non dico, si peccatum fecit, sed si peccatum facit, in praesenti, quatenus facit, ac dum facit ex Diabolo dicitur esse, non autem dicitur habitu fidei nihil omnis retinere, ac ne quidem imminutum, sicuti tu loqueris. Ergo quamdiu quis in peccato manet, antequam per poenitentiam generalem aut specialem in viam Domini redierit, a salute abberavit, a Deo ad Diabolum

Diabolum defecit : quod omnibus illis locis docet Scriptura, quibus docet, alienum esse a regno Dei qui indulget operibus carnis, veluti 1. Cor. 6. Gal 5. &c. Denique, ut argumentum uno verbo stringam, *Voetius* mihi debet probare, fidem propter quam fideles dicimur in Sacra Scriptura, esse habitum. Si non potest, stultum est nos quererere, an habitus ille maneat nec ne, an imminuantur aut augeatur : Prius enim constare debet de subjecto, quam disputetur de Prædicato. Oro autem ne mihi ex putidis, aut ut melius dicam, ex pestiferis lacunis Scholasticorum quid proponat, in quibus eum me fortasse longe superare non nego; sed ex scriptura divinitus inspirata, & utili ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfecte instructus. Quod si hoc e Scriptura probare non potest, tria consecratio inde concludam : Primum præter Scripturam dici, Hominem a fide 1. a fidei habitu, nunquam deficere totaliter. 2. præter Scripturam dici, quod etiam in quovis paroxysmo, propter habitum fidei scilicet, commonistrari possint homini in dubitata fidei argumenta. 3. cum habitus, sive ut ad imitationem Præsidis loquar, ipsa Virtualitas fidei nulli a Deo imputetur ad virtutem, ergo neque Virtualitatem ad malum, cuiquam a Deo imputari ad culpam. Quare ipsum miserrime defendisse suas Quæstiones Catecheticas & Liturgicas, ni evidenter ex Sacra Scriptura ipsa probet, Deum ab homine postulare virtualitatem boni, ac prohibere virtualitatem mali, hoc est (absit dicto blasphemia, figura quædam Voetiana).

Ante Coroll. IX. aliquid mihi præfandum est: Nempe, ut in militia nulli licet stationem deserere sine scelere, ita nec cuiquam homini qui sana mente sit, licere sibi ipsi violentas inferre manus, quo vitæ cursum sine Dei mandato abrumpat. præterquam enim quod is laborem a Deo sibi destinatum detrectat, simul etiam Deo contumeliam facit, quasi qui pios suos etiam in paupertate alijsque mundi afflictionibus, ut oportet, non sublevaret. Hactenus sane res plana est : Sed *Voetius* movet hoc loco quæstionem specialem quoad milites, de quibus ita pronunciat : Ut quis pulvere nigrato navem incendat, quo se ipsum cum hostibus simul præsentissima morte perdat, non putamus licere : saltem quia certa fide ac conscientia hoc fieri

hoc fieri posse non liquet , tantisper abstinentum est : Scilicet nullo omnino casu licere vult . quare ? quia non licet occidere . At miles occidit hostem . Recte respondebit *Voetus* , non id facere militem ipsum a se , sed ex mandato Magistratus , qui gladium hunc etiam ipsum in finem a Deo acceperit : quamvis ergo plerique milites impie se gerant , dum hostes interficiunt , idem tamen quoque ex conscientia posse fieri propter obedientiam , quam Deus ipsi Magistratui vult praestari . Recte est . Ergo omnis hac quaestio redibit , An Magistratus ipse , salva conscientia , id unquam , vel ullo casu possit militibus injungere . *Voetus* negat : alieno sane loco : nam si haec tanti esse putat , opportuerat eum haec ipsis ad quos attinent potius insinuare , quam inter oculos neglecta multorum salute disputare . Quid si nunc eos , a quibus haec nonnunquam mandari solent audiret sibi regerentes , Temere ipsum quae ignoret judicare , aliquando hostium eas opes esse , eosque animos , ut toto mari cedendum sit , ac porro non multo post etiam terra , unde religio ipsa exterminanda videatur , ad cuius tutelam gladium a Deo acceperint , nisi extremis remedijis utantur ? Nullam rationem se videre , cur non quod ipsi hostes priores faciunt , quoque augeant indies suas vires , sibi quoque liceat , cum aliud consilium nullum suppetat . Nullum se videre in V. Testamenti infinitis praelijs exemplum , e quo colligere possint : id vetitum esse : nam Saulem quidem legi , se ipsum interfecisse , ne in hostium veniret potestatem , nusquam tamen hoc sceleri , sed potius infortunio adscribi , quia non dubitabat , quin ab hostibus ipsis contumeliose esset necandus : in Maccabaeorum vero historia id factum quodam etiam loco laudari : qui liber et si non est Canonicus , ut ex eo articuli fidei debeant probari , tamen in confessio est solitum etiam fuisse publice legi ; unde facile fit intelligere , ipsam veterem Ecclesiam hoc exemplum veluti publico praeconio commendasse , non ad subtilem Fidei ventilationem , sed ad vitae imitationem . Sampsonem vero etiam verbo insuper hoc declarasse , propositum sibi esse , ut una cum hostibus se ipsum de medio tolleret , dum modo per mortem suam Dei gloriae consuleretur : quare cum milites habeantur , ac debeant haberi , pro talibus quorum sanguis quoque effundatur pro patria quoties conscientia dictat praelium committi posse , cur non liceat dare in

mandatis ut id faciant, quo solo hostes averti posse credamus? pre-  
fertim si preter Magistratus mandatum, quo adstringuntur illud  
quoque accedat, ut le omnes & singulos insuper videant ab hoste  
trucidandos, navemque in illorum potestatem esse venturam, nec  
habeant aliud in animo propositum, quam Ecclesiam ipsam suo  
quoque sanguine pro virili defendere. Quod si inter maritimos  
illos multi sunt, qui hec non ita intelligent, nec eo animo ad rem  
eam accedant, suum dicent non esse, sed potius concionatorum sin-  
gulos milites de pietate melius instruere, quo nomine de publico  
salarium accipiunt. Hec *Voetium* nunc plane ac solide & publice  
edito scripto refutare necesse est, ut Venerandorum Magistratum,  
ad quos hec pertinent, conscientijs potius satisfaciat, quam scrupu-  
lum iniijciat, ad imminuendos militum, qui vitam pro patria impen-  
dere parati sunt animos, & ad ipsorum actiones obtentu dispu-  
tationis, publice fugillandas. Nondū dixi quid ipse de hoc argumento  
sentiam, sed tantum quid sentiam de *Voetio*; eum temere in omnes,  
vel in ipsos quoque Magistratus evagari, ut gloriolam capter.

Pergo ad Coroll. X. *Mendacia officiosa*, iuquit, *equivocationes*,  
*mentales reservations* repugnant simplicitati Christianae. Nec unquam  
probabatur Spiritum Sanctum eas ulli homini dictasse. Ergo & Geldrica,  
& Dordracena Synodus Christianam simplicitatem utraque pro  
virili sua exterminavit, neutraque habuit Sp. factum dictatorem.  
nam in illa, ut scenae serviretur, & imponeretur populo, eos ipsos  
articulos quos adversarij 1. Remonstrantes conceperant ad dete-  
stationem doctrinæ Contra-Remonstranticæ, Contra-Remonstran-  
tes itidem cum detestatione sunt execrati. qui potuit id fieri sine  
*equivocatione*, aut mentali reservatione? In hac vero etiam cum  
juramento omnes & singuli professi sunt, se sincere de articulis esse  
judicatores, de quibus jam ante judicaverant, eoque secessionem  
varijs locis publice fecerant; nec interim illi praejudicio renunciare  
voluerant: immo ne quidem mandatis suis quæ praejudicio eidem  
innitebantur renunciasse interim intelliguntur, quemadmodum  
satis aperte de se judicium fecit D. *Habellus*: quod de uno publica-  
rum, de omnibus tamen pariter est intelligendum. Sed fortasse no-  
ster hic de personis loquitur politicis, aut saltem de politicis nego-  
tijs, in quibus sinceritatem in hac parte majorem non immerito  
requirit: cum soleant homines temere sibi imponere, ut imponant  
alijs.

alijs. Sed hoc tam grāve negotium ineptissime tractavit, cum addit, *Nec unquam probabitur Spiritum S. eas ulli homini dictasse.* Hoc ipso quo videtur hominum errorem velle inhibere, habenas laxat. Qui enim mendacijs officiosis, æquivocationibus, mentalibus reservationibus delectantur, nunquam ad ea fese applicant, quod putent Spiritum S. hæc ipsa aliquando dictare, sed tantum quia non prohibita esse judicant, neque Dei vel proximi charitati repugnare. Aut ergo erat hæc ratio omittenda, aut alia melior substituenda nam vehementer aberrat, si putat omnia illa Christianæ simplicitati repugnare, quæ quis demonstrare non potest Spiritum S. ulli homini dictasse.

*Credo a te hoc quoque propositum fuisse ut præcitatatem tuam predicares de qua, sub eodem hoc titulo Paradoxum III. ita habet. Præcitas & singularitas est modus a pietate inseparabilis &c. Si est verum, & si est paradoxum, ergo ante Voctum reformati non observarunt eum pietatis modum, qui tamen erat ijs necessarius ad salutem. Præterea si hic rursus intelligit Voctus illam suam præcitatatem, quam alij ignorant, Ergo etiamnum ignorant Reformati modum, qui est ad pietatem necessarius. Idem tamen, qui tam rigidus est, mox Paradoxo IV. etiam sine resipiscencia peccatorum aliquam remissionem benigne largitur. ita habet; Etiam peccata illa remitti possunt fidelibus, de quibus aut antecedente explicita, aut consequente actuali, aut alterius resipiscencia non resipiscunt. Intelligat qui potest. Mihi pergere liber ad Ecclesiastica.*

Coroll. II. *De doctrina Ecclesiæ judicat Ecclesia, inquis. Sic est: sed & quivis alius. idque secundum scripturas, quæ jubet singulis spiritus examinare 1. Joan. 4. itaque etiam aliorum & omnium interest de Ecclesiæ doctrina judicare. quid ergo hoc prætextu Magistratum a Synedrio. id est, a potestate Ecclesiastica excludis (nam eo evidentur hæc tendere) cum ad Magistratum imprimis attineat populi sui cura, ut pie instituantur? Ostendatur ergo locus ubi jubeatur ipsa Ecclesia judicare de sua doctrina, & evidenter declaretur ibi per Ecclesiam, intelligi Synedrium Ecclesiasticum, & quidem tale quod jus habeat Magistratum submovendi.*

Recte vero adjungis Coroll. III. *Magistratum absque antecedente cognitione, & proprio judicio sententiam Ecclesiæ tueri, aut exequi non debere. Sed hic damnas iterum venerandos tibi Magistratus,*

tus, cum multi inter ipsos existant, qui verum controversiae statum inter nos ac vos non lati intellexerint, & tamen a vobis passi sunt se abduci. cur ergo vestri Concionatores ipsi, imo & Synodica quadam autoritate praefulti, nunquam destiterunt ut quam maxime Remonstrantes persequerentur, executionique edicta sua mandarent? nemo autem, quantum sciri potest, exstitit qui serio vel Principem, vel Ordines, vel Magistratus, ac ne minimos quidem in ullo pago hortatus sit, causam Remonstrantium ad proprium judicium revocare, & diligenter perpendere antequam sententiam Ecclesiæ adversus illos tueri aut exequi inciperet. Si tu is es qui haec fecisti, aperta fronte pronunciabo te unicum inter omnes Collegas esse Phœnicem. Porro si Magistratus proprio judicio hic uti debet, ergo debet ipse pro se partes adversas audire, & maxime ijs accommodare qui de injuria conqueruntur. An ullus vestrum hoc unquam optavit *Votii*? Certum est mihi, te non advertere quid dicas.

Probo vero etiam totum illud Paradoxum I. et si dubium est quam late extendas, sed eum sensur. sane probo, quem ipse hic agnosco, cum ais: *Jus fasque est, ut urgente necessitate Magistratus circa res & personas Ecclesiasticas tum compulso rijs, tum autoritate sua coactiva utatur. Quod cum facit, potestati Ecclesiastice nibil derogat, neque eam sibi usurpat.* Evidem si essem ego Magistratus Ultrajectinae Reip. mox avide consilium tuum arriperem, & tibi interdiccerem cogaremque, ne posthac cū autoritatis meæ dispendio tuam disputandi laude ambires, & imprimis ne talia Corollaria auderes, quale sequitur II. sub titulo Politico Theologico in hæc verba.

*Bellum Belgicum, quod adversus potentissimum Hispaniarum Regem suscepserunt Illustr. ac Præpotentes Belgij Ordines, rebellionis & iniustitiae ex sacra Scriptura, aut rationibus Theologicis convinci non potest. Quid agis, cum prætextu Disputationis Theologicæ autoritatem D. D. Ordinum omnibus malevolis traducendi publicam potestatem facis? invitasti enim quarumcunque in religione partium, cujuscunque conditionis studiosos, & litteratos: Jesuitas ergo etiam, quamvis impudentes. ut exsureret aliquis, qui diceret, Prudenter a D. Votio Præside factum esse, cum distincte in ipso Corollario statuit hoc bellum rebellionis, & iniustitiae convinci non posse ex sacra Scriptura, aut rationibus Theologicis; nam si rationibus agendum esset ex jure humano,*

rem

rem merito dubiam viderit. Deinde exorsus à Theologicis mor de-lapsus fuisset ad Politicas , quod erat facillimum. quid respondisset Præses ? Finiendam esse disputationem , illa supra captum suum esse. At regereret Opponens, Theologicas rationes esse, Magistratum enim per conscientiam teneri servare ea jura quæ Politica sunt, cum ea intel-ligunt : & in ea parte Præfidi insultaret. Cui bono? quæso. in ea præ-sertim urbe , in qua multos in pejorem partem inclinare sua sponte dolemus omnes. Quod si insuper accessisset tam miserabilis defensio (quod absit) Dominorum Ordinum , quam fuit illa Catecheticarum quæstionum, quid restabat, nisi ut veneranda illa autoritas apud pluri-mos nutaret, & in ejus vilipendium, finita disputatione, ipsi studiosi se in hoc veluti ludo exercent.

Eadem imprudentia peccasti Coroll. VI I. cum sic statuis: *Ius suum quod habet Respublica nostra in civitates aliquot hostibus Hispanis iure belli eretas, quas subinde priores Domini repetitum veniunt, antiquum est, & à populo Dei recte usurpatum. Jud. c. 11. v. 15. 26.* Hictu te multo adhuc turpius daturus eras , quam ante. ante enim stipulatus fueras rationes Theologicas, hic ne Politicas quidem recusas, satis tu-tus illo exemplo quod è Scriptura citas. Sed vide quam parum soli-de : Ius hoc videmus à populo Dei alicubi recte usurpatum ; Ergo à DD. Ordinibus hic etiam recte usurpatur. Diceret Opponens Re-gionem istam, de qua controversia erat, à Deo ipso Israëlitis fuisse sine dubio donata; eoque ipsos scivisse, se jure agere, nihil contra Deum, quod & ipse Iephtha in argumentum traxit. Sic enim renunciat Am-monitarum Regi v. 24. Nonne quod possidendum dederit tibi Che-mos Deus tuus illud possidebis , sic quicquid expulerit Iehovah Deus noster à facie nostra illud possidebimus? Argumentum est, Qui sciunt se à Deo suo accepisse, jure possident : nos scimus variis argumentis à Deo nostrø nos ea accepisse : Ergo jure possidemus. Possesne idem demonstrare in negotio Dominorum Ordinum, ex hoc loco ? diceret enim Opponens, hoc ipsum in quæstione versari, an Deus istas urbes destinaverit Ordinibus, an vero illis prioribus Dominis. Sed hoc mit-to, posses-ne etiam evidenter ostendere, Regem filiorum Ammon, ea-rum regionum quas repetebat , veterem Dominum fuisse ? nec enim ex ipso capite id satis liquet , cupio à te hic erudiri. Videtur mihi ta-men hactenus quidem plane contrarium in textu haberi. Rex Ammo-nitarum bello petebat regionem ab Arnon usque ad Iabboc , ad quem

ubi Iephtha legatum misisset , qui causam belli inquireret, dixisse scribitur v. 13. Quia invaserunt Israëlitæ meas regiones quum ex Egypto venerunt ab Arnon usque ad Iabboc & Iordanem , redde mihi ergo, inquit, meas regiones placide. Sed quid respondetur nomine Iephthæ? Is non fatetur hunc Regem veteré Dominum fuisse: sic enim ait v. 15. Non cepit Israël terram filiorum Moab, neque filiorū Ammon. Nec mirum. Terra illa terra Emorrhæorum fuerat , qui eam jure belli occupatam tenebant. Tantum vero abest ut terra ista Ammonitarum fuerit, aut ut eam Israël jure belli annis trecentis ante, suam fecerit, ut contra Israëlitis expressa Lege à Deo interdictum fuisse legatur, Deuteron. 2. 19. & vers. 37. ne eam invaderent & bello peterent. Idem multo clarius appareat ex tota narratione , quam ipse citas, quia verbis disertissimis v. 22. habetur , eam regionem ab Arnon usque ad Iabboc , & à deserto usque ad Iordanum fuisse Emorrhæorum regionem, & infertur v. 23. Nunc ergo Iehova Deus Israël ejecit Emorrhæum à facie populi sui Israël, & tu possidebis eum? Ergo hic nullus vetus Dominus agnoscitur, ex quo appetat exemplum hoc non quadrare. Restarent rationes politicæ , in quibus quam sit versatus nescio : sed credo publico consultum esse ne Voetius talia publice tractet. *Non defensoribus istis Tempus eget.* quanquam innuit Coroll. VII. se non tam simplicem Politicum sibi videri, quam fuit Iohannes Boterus. Quem, ut Lector agnoscat aliquid etiam Voetium legisse in Ejusdem Relat. taxat audacter pro Parasito, aut simplice nimis Politico : scilicet ob unicum errorem , ut judicat noster, quasi non ita soleat evenire in omni Professionum genere , ut summa ingenia suos etiam habeant nævos : sed quantum ad parasitandi sive adulandi laudem, eam Voetius Botero profecto non concedit, dum Coroll. III. nostræ Reipubl. imperium , ut Magistratui palpum obrudat, *ad primorum Patriarcharum gubernationem proxime accedere modulatur* : quasi putet, fieri non posse , quin tam dulci fistulatione ad majorem sibi benevolentiam obstringantur , qui jam priores honorifica professionis vocatione hominem demeruerunt. Quod si rogetur quinam illi primi Patriarchæ fuerint, in quos populos imperium obtinuerint, qua forma regimini usi sint , qua in re ipsa similitudo constat, fortasse ad respondentium deliberandi spacium petet. Quod si rogetur insuper, an Magistratus tunc fuerint Patriarcharum similes cum levis etiatis, & executionibus infatiablem Contra-Remonstrantium crudelitatem placare conati

re conati sunt, an vero nunc cum ipso omni confilia pleraque repudiant,  
& misereri incipiunt Iesu Christi membrorum, credo equidem dictu-  
rum esse, se paratum hoc pro Quodlibeto in utramque partem defen-  
dere.

In Corollariis Philosophico-Theologicis statim in ipso nomine Co-  
roll. I. vide quam tragicē exclamat! *In Deum & veritatem eius injurijs sunt, qui Philosophiam condemnant.* Non oportebat ex misericordia ele-  
phantum facere: error non scelus est. Scimus enim quosdam ex pie-  
tate erga Deum subtiliorem Philosophiam nihil curare, immo suspectam  
habere, ob ea quae leguntur Coloss. 2. cum tamen ipsi, vel ignorantes,  
plurimis in rebus, ac fere in omnibus naturali lumine etiam cum gra-  
tiarum actione utantur. Error est, sed levis, nec Christianis interdictus:  
cum ergo nullum in ea re peccatum sit, id est, cum id homini Christiano  
nō liceat, peccat qui ipsos, contra fraternalē caritatis regulam, velut in  
Deum ipsum injurios traducit.

In eodem Corollario recte statuitur, *Philosophiam cum Theologia  
non pugnare.* Velim ipsum Voetium hujus recte meminisse: nam saepe  
accidere solet, ut hoc axioma Contra-Remonstrantes modo agnos-  
cant, modo repudient. Est autem ejus usus imprimis evidens cum res  
controversiae in Theologia, per alias evidenterias est Philosophia, simili-  
tudine quadam, declarantur: quo circa imperite faciunt, qui cum si-  
militudinibus evidentissimis constringantur, satisfacere se doctis auri-  
bus putant, cum ad elabendum illud afferunt, similia tantum declarare,  
sed non probare. Quod Voetio in haec disputatione evenit: cum  
enim ostenderetur, judicem ab eo cui pro supplicio duos digitos am-  
putari fecisset, non posse salva iustitia exigere sub gravioris poenae  
comminatione, ut eosdem extenderet; itaque nec simile quid Deo  
salva ejus iustitia tribui posse: nihil aliud respondit quam similia non  
probare, sed declarare tantum. Itane vero? cum vis argumenti in eo  
ipso consistat, quod altera res, de qua controvertitur, similis sit alteri  
de qua constat? an non Canon est apud Logicos de similibus similia  
statuenda esse? unde colligitur; Cum ipsa natura clamet hoc exem-  
plum injustum esse, ut ipse fateris, ergo judicandum etiam, injustum  
esse illud alterum quod ei sit simile. Hic, dico, si non à respondentē  
evidens quidam defectus in similitudinis ipsius partibus essentialibus  
ostendatur, ipsum manifesto teneri. Quam conditionem aut accipiat  
Voetius, si Philosophum se profitetur, aut refutet.

II. Coroll. habet ita. *Deus non cognoscit universalia abstracte & præcise.* Cum hoc primum legerem, suspicabar hominem vanis speculationibus delectari: dicebam mussitans, quæ intemperias hunc mortalem agunt? Si homo potest cognoscere universalia abstracte & præcise sine mendacio, an Deus non poterit? si autem potest unde probat Voetius, eum, quod potest, in hac parte non facere? Non ex Scriptura: nam ipse thesin facit Philosophicam. & quæso quid attinet ad nos ex inani Philosophia Dei cogitationes quasi in arctum compingere (absit dicto blasphemia) & ad nostram mensuram metiri? An non sunt istæ etiam quæstiones variae ac fugienda ex Apostoli præscripto?

**I. Tim. 1.** Hæc primum cogitabam: sed mox vidi alium esse homini scopum: aliud agit per cuniculos, quemadmodum subjecta verba declarant. Nam ex hoc quod Deus non cognoscat absolute universalia colligit, formaliter in ipso non esse posse *decreta universalia seu de rebus universalibus distincta à decretis singularium sub illo universalis contentiorum.* Vis, ut clarius dicam? Deus non potest juxta Voetium ullum decretum universale facere, nisi quatenus ex decreto de omnibus singularibus per resultantiam quando[m] dicitur de universalibus decrevisse. Verbi gratia, non factum est decretum universale, ut omnis finaliter perseverans sit electus: sed factum est decretum formaliter de singulis, ut hic, iste, atque ille sit finaliter perseverando electus, ita per currentio omnes ad unum, & sic per omnia singularia factum est decretum unum commune sive universale, alioqui Deus cognosceret universalia abstracte & præcise. Viri Contra-Remonstrantes hic habetis novum & notabile argumentum: probabitis deinceps, si libet, prædestinationem omnium & singularium non ex Scriptura (parcite labori) sed ex evidenti Philosophia. Nam si usquam habetur in sacra pagina tale quid, *Quisquis credit salvabitur*, dicitis: Est decretum universale: Ergo cum Deus non possit universalia decreta facere, colligendum est, illud ipsum esse decretum formaliter de singulis factum. Mirum est hominem ita depuduisse, ut hoc statuat, tum etiam ut statuat non tanquam paradoxam, sed tanquam communem sententiam Philosophorum: quorum nonnulli potius in eam sententiam propenderunt, ut putarent Deum sola curare in terris universalia: hic in alterum extreum incurrit, imo sola inquit singularia. Sed est quod graviter nobis hic apparere, quam vanum sit Prædestinationis illius fundamentum, nostri hinc non parum confirmabuntur, adversarii vultus

tus in pudorem demittent. Addatur adhuc absurdum unum; Qui non potest formaliter cognoscere universalia, nec facere decreta universalia, quae tamen nec inhonesta sunt, nec implicant contradictionem, is non est omnipotens: Ergo Voetius, nisi Corollarium hoc revocet, negat Deum omnia posse. Insanum reddit hominem sua scientia.

Proximum Coroll. III. scilicet est ejusdem plane notæ, in hæc verba: *Futurorum contingentium est determinata veritas, non quia Deus speculativa scivit ea ab eterno, sed quia decretivit.* Hoc axioma totidem fere verbis habetur quodem loco in Institutionibus Calvini, unde puto nostrum haussisse: sed quam egregie judicabit Lector: Calvinus enim ponit pro Theologico, & quod Philosophi aversentur: Voetius, aliquanto perspicacior, pro Philosophico, & non parodoxo, sed vulgato, scilicet ut mature præoccupentur animi discipulorum, & familiaris fiat opinio, quasi cum lacte imbibita, priusquam qualis sit cognoscatur. Quod ad ipsam rem attinet, hoc axiomate Deus non obsecure statuitur auctor peccati. Nam si futura contingentia ideo determinatam veritatem habent, id est, si ideo futura sunt, quia Deus decretivit, ut affirmat thesis, quid potest clarus dici? quid enim aliud significat, quam quod ab ipso decreto procedant, velut à causa? cum Deus decreverit ut omnia peccata fiant? Dicere autem, hoc ipsam quoque Philosophiam docere, et si Scriptura taceret, an non extremæ est impudentiae dicam, an perviciacæ? Nam quod ad Philosophiam attinet, credo, ipsos Voetij socios Contra-Remonstrantissimos mecum affirmaturos, illud axioma esse à Philosophia tam alienum, quam quod maxime, ut Calyminus supradicto in Institutionibus loco significat. Quantum ad Scripturam attinet, necesse est Voetium suas ostendere rationes, si quid credi vult. Interim accipe argumentum in contrarium. Qui non vult iniquitatem, is non decernit iniquitatem: decretum enim est species quædam voluntatis, nempe voluntas quædam de futuris: sed Deus non vult iniquitatem: Psal. 5. Ergo non decernit iniquitatem. Aliud argumentum: Si mens humana non potest capere ut Deus auctor fingatur futurorum peccatorum aliter, quam ea ratione ut ipse decernat peccata futura infallibiliter, & quidem ideo futura, quia ipse decretivit: Ergo qui hoc statuunt periphrastice, iij certe evidenter statuant, Deum esse autorem omnium peccatorum. Quæ res tam clara est, ut conscientias infinitorum hominum, etiam qui vestra sunt Ecclesiæ, judices facere auderem quotquot vertiginofis distinctionibus non sunt

obnubilati. Quod si consequentiam negas, tuum erit clare propone-re aliquam aliam rationem, qua intelligere possimus, aut hominem, aut angelum, aut Deum statui causam futuri peccati præter tale decretum. Si dicas, excogitari aliam rationem qua adhuc magis statuatur auctor peccati posse, scilicet, si ipse quoque peccatis delectaretur, & tali delectatione motus decretum inevitabile de peccatis ficeret, tum verè peccatorum auctorem futurum: duo respondebo. 1. Vos aperte hoc ipsum statuere, quod Deus delectetur peccatis, atque ideo voluntatem ejus benefacientis fieri dicitis cum peccata fiunt: ex qua quidem peccati complacentia decretum illud ortum est. alioqui, si non proprio motu, quis coegerit Deum decretum facere? libenter fecit, & cum voluptate, ut ita dicam; quantumque delectatur ipsa sua gloria, tantum delectatur mediis, quæ ad suam gloriam libere decrevit, ac cæteris præstulit. 2. Quamvis id non statueretis, nihil dicerem hoc ad rem præsentem attinere: querimus enim hic, non an Deus ipse cum voluptate an secus causa sit peccati, sed tantum an sit causa, & quidem vera. Cum ipsam rem negare amplius non potestis, delabi soletis ad distinctiones: scilicet, Deum quidem auctorem esse peccati, sed non quatenus peccatum, id est, rei quidem ipsius, sed non vitiositatis, quæ in re, ut in actione v.g. culpada est. Hanc distinctionem falsam & futilem esse, ex eo satis apparet, quod cum hæc quæstio apud antiquos sape fuerit ventilata, & de ea pronunciatum adversus varios hereticos (quorum vos in hac parte estis genuini successores) nunquam Patribus in mentem venit aliter loqui, quam simpliciter negando, non autem limitando quatenus peccatum à Deo esset. Sed nolo vos auctoritate gravare.

Examineate, quid id sit quod dicitis: facitis hic Deum ipsis peccatoribus per omnia simillimum: nam & isti peccatis delectantur, peccata volunt, peccata sibi proponunt, quatenus res sunt, non quatenus peccata: quatenus res sunt & bonæ, poterunt vere dicere se ea committere: quatenus mala sunt, ex animo detestari. An hoc non est horribile di-  
cū? Voetio non est, nihil movetur, adhibenda sunt ergo aliae machi-næ. Dico malitiam ipsam rebus esse essentiale, nec ulla arte hominem cavere posse, si ad hoc adulterium v.g. destinatus est, quin hoc adulterium perpetret cum peccato. Fatetur Voetius, sed tamen distinguit; quatenus res, est à Deo; quatenus mala res, est ab homine. aliter ergo insistam. Dico res ipsis five actiones ipsis, quas vos aperte à Deo esse profitemini, ipsis inquam in se, & per se, peccata esse, quamdiu lex viget:

vigeret: eo quod actiones ipsas Deus homini prohibet tanquam malas, non prohiberet autem tanquam malas, nisi malae essent. Ergo qui talia docent, manifeste Deum peccati auctorem faciunt, quascunque ex cogitent distinctiones ex suo cerebro, nisi possint eas ex Scriptura sacra demonstrare. Quam misere autem ad hoc Scripturam sacram torquent? V. g. profertur aliquando ad hoc, ipsum exemplum Abrahamicum enim scelus sit filium proprium mactare, tamen inquit hoc ei Deus præcepit, ratione operis ipsius, quod in se & per se bonum est: unde videas, quod homo facit cum peccato, idem Deum sine peccato posse. Rectius argumentum inverti debebat, scelus est filium occidere, sed si Abrahamus divino impulsu filium occidisset, non scelus amplius futurum fuisset, sed virtus & quidem summa: quare si quæ sunt quæ Deus decernit ipse, sive ad quæ homines impellit, sive palam, sive clam eo ipso peccata esse desinunt. Ne quis sentiat cum Contra-Remonstrantibus, ideo peccatum non esse Deo imputandum, quia velut è latebris non prodeat, sed clam occultaque via homines ad peccata impellat. Verum eti illas omnes distinctiones concederem veras esse posse, & solidas, tamen non video principale argumentum adhuc solutum esse, sic enim resumam: Omnia futura contingentia habent determinatam veritatem, quia Deus decrevit: Sed ipsa quoque peccati malitia, ipsa peccati repugnancia cum Lege Dei, ipsa peccati diabolicitas, denique quicquid pessimum de peccato dici aut cogitari potest, est etiam futurum contingens: Ergo peccatum non est tantum à Deo quatenus res vel actio, sed etiam quatenus peccatum. Dabo argumentum adhuc fortius, ut concludam. Omnia futura contingentia habent determinatam veritatem, quia Deus decrevit: Peccata omissionis etiam sunt futura contingentia: Ergo peccata hæc etiam à Dei decreto pendunt: in quibus tamen non est res, cuius dicete possis Deum auctorem, sed consistunt in pura puta malitia, seu privatione entis. Ergo secundum hoc axioma Deus etiam statuit auctor pure ac putæ malitia, quæ in peccato est. Prodibis fortasse in medium armatus distinctione decreti effectivi an efficacis, & permisivi: Deum fore malum auctorem, si id penderet ab ejus decreto effectivo aut efficaci, non autem cum penderet à decreto permisivo. Puerile est: tua thesis enim dicit, peccata habere determinatam veritatem quia Deus decrevit. Exponere mihi quid illud quia sibi vélit: statuis enim ipsum decretum, etiam permisivum (si vis ea distinctione uti) ejusdem efficacie cum decreto.

decreto effectivo. nec enim tibi decretum permissivum otiosum est, sed ita efficax, ut quia decretum sit factum, ideo peccatum quoque in futurum suam habeat determinatam veritatem. Memento nunc Voeti, ut bene ostendas & redargas furiosas nostras exprobationes de Deo auctore peccati. Ego vero furiosum potius te judico, qui hanc exprobationem & furiosam & mera falsitate subnixam esse jactas. Dabo vel Calvinum ipsum testem. is lib. I. Instit. c. 18. §. 3. diserte ita scribit: Et jam satis aperte ostendi, Deum vocari eorum *omnium auctorem*, quæ isti Censores volunt otioso tantum ejus permisso contingere. Inter illa omnia, quæ alii volunt tantum otioso Dei permisso contingere an non sunt etiam peccata? planissime. Imo vero, an aliud quidquam est, quod otioso tantum Dei permisso volunt contingere, quam peccata? Nihil aliud, & tamen eorum *omnium* intrepide pronuntiat Deum *auctorem*. Credendum autem est, Calvinum non minus intellexisse, quid suæ doctrinæ cōsentaneum esset, quam Voetium: qui quidem ipsum ab hoc crimine vindicabit nunquam.

His intellectis non operose insistendum erit in refutatione Corollar. IV. quo dicitur: *Religionem vestram nulla sui parte introducere fatum Stoicum, neque contingentiam & libertatem tollere.* Nam revra quoad Deum ipsum, cuius decretum liberum est, libertatem non tollitis; ei enim tribuitis, quod libere determinet omnia: postquam vero sic determinata sunt, quæ libertas homini restat? Scilicet determinandi id quod determinatum est quasi determinatum non esset? Fatoe, equidem, illi adhuc remanere libertatem Contra-Remonstrantcam, id est, spontaneitatem; sed non quæritur, quid vos singatis ad disputandi patrocinium, sed quid natura ipsa per libertatem (quod Græci *τὸν αὐτοκέντον* vocant) intelligere doceat, qua ratione Philosophi, Ethici, Logique omnes communi consensu testantur, et si vos dum invitis omnibus illorum vocabulo in alium sensum abutimini, ut rumpantur illa quibusvis, eo testatum facitis vos ab æquivocationibus, etiam illis quæ citra dubium Christianæ simplicitati repugnant, non abhorrete. Quod autem prædestinatio vestra manifeste necessitatem inducat, eoque tollat libertatem testantur auctores gravissimi: Lutherus; Scripsi autem inter alia, omnia esse absoluta & *necessaria*. Vides, quid homini doleat? sed gaudet, addidisse se. Quod aspiciendus sit Deus revelatus; ut meminerint hoc quod bene addidit, oblitiscantur illud alterum quod male scripsit, unde omnis generis errores & deliria

liria possint stabiliri, scilicet absolutam prædestinationem. Quid Calvinus? idem fatetur lib. 3. Instit. c. 23. §. 9. Excusabiles peccando haberí volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi *necessitatem*, præfertim cum ex Dei ordinatione sibi injiciatur hujusmodi *necessitas*. Nos vero inde negamus rite excusari. Quare eam statuunt Contra-Remonstrantes libertatem, &c non aliam, quam in ipsa necessitate sibi ad disputandum possint imaginari.

Corollar. VI. confidenter assertis, Astrologos qui statuunt, *cœlum quiescere terram motu diurno rotari &c.* Scriptura non obscure repugnare: nempe ut videaris non partim quoque versatus in scriptis Astrologicis. in quibus ego me plane rudem fateor, & fortasse tui similem. Novitie Professor, nihil ne te puduit tam celebrem virum Astrologicæ scientiæ principem hac tempestate, quem admirantur, quem suspiciunt omnes, tum & Religionis tuæ ipsius non modo confortem, sed & per multos annos Ecclesiasten, hac ipsius ætate, ut canitiem ejus vellices, impii dogmatis accusare, quod non obscure repugnet ipsi verbo Dei ut impius sit, nisi impiam sententiam repudiet. sic tu quæ Astrologorum nullus hactenus confutare aggressus est, alienæ scientiæ limites invadens, sola tua calumnia superabis? tam facilis-ne est victoria tanto-rum laborum? quo scilicet argumento? quia phrases quedam habentur, in quibus dicitur solem currere, aut revolvi, ac similia, terram stabilem esse &c. Itane vero? si tu mihi concedis ex phrasibus argumenta struere, colligam ex Scripturis plurima non tantum falsa, sed & impia. Nullum argumentum licet sumere ex phraſi, nisi prius de scopo ipso constet. ostende ergo, iis locis hoc ipsum agi, vel cum scopo loci necessariò connexum esse, ut Sol moveatur, ac terra quiescat. an non tam cœli gloriam Dei enarrabunt, si ipsi quiescant? an non Sol? an non Luna? imo secundum Copernicum, ejusque aſteclas, aliquanto magis celebrabitur Dei sapientia, qui sic omnia disposuerit, ut minore labore sua obeant munia. Ergo non est contra Scripturam: sed dicendum tibi fuerat, est contra phrasin Scripturæ. esto. Scripturæ phrasis non solet esse tam accurata in iis quæ ad Religionem ipsam non pertinent. accommodat se vulgo, imo petitur ex ipso uſu vulgi, adeo ut ſæpe admittat ea quæ falsis hypothefibus nituntur. Non oblitus es ilud verbum, Possideto tu quod Deus tuus Chemos tibi dedit, nos posſidebimus quæ dedit nobis Iehovah Deus noster. ubi Deus ille ficti-  
tus, qui nihil dederat, quasi ex æquo cum vero Iſraëlitarum Deo com-

paratur; quia cum illis res erat, qui in eo errore versabantur. Sic solet vulgo sua opinio intacta relinqu in his quæ pietatem non convellunt: & jure, quia Spiritus Sancti est non curare sapientiam mundanam, sed promovere divinam, quæ in eo consistit ut Deum timeamus. Quin cum ex professo tractat Moses de mundi creatione, ubi vel imprimis accurate loquendum fuisset, si Scriptura talium rerum haberet rationem; tamen ibi Moses memorat duo luminaria magna Solem, & Lunam, quam tamen vel ipse nosti apud omnes Astrologos plurimis, ac fere dicam infinitis stellis minorem statui; eo quod Scriptura sat habeat loqui secundum apparentiam. Vnde si quæ reverentia esset erga Collegam tam proiecta ætate, non debebas ipsum solum ex omnibus Astrologis eligere, cuius sententiam quasi non obscure Sacra Scriptura repugnet perstringeres.

Sed tu ostentatione quadam ingenii sic omnem tuum eruditioris censem promere voluisti, ut & Coroll. V III. multo absurdius impigeris. cum enim medici quidam aduersus Pestem talia suggerant consilia; quæ sic contagium fugere suadent, quasi de Deo sit desperandum; tu extrema extremis opponis, sic doces vicissim contagium contemnere, quasi Deus sit tentandus. ita dum vitant stulti, virtus in contraria currunt: atque utinam tu solus incurras, nec publice edita tua hac pestifera sententia credulos quosdam in mortis pericula conjicias. Agis autem contra medicos tam stulte, ut stultius nihil dici possit: *Totum prætensum contagium (quid audio? prætensum tantum?) per distans,* & alterum per sonitum, magnam salutem partem ex anili potius delirio, quam ex solida Philosophia desumptum videri. Non agam tecum medice, sed plebeie. Etsi de contagio per distans aliquis in vulgo dubitare posset, eum certe, qui de contagio per sonitum velit contendere, vel rixas querere, vel minus quam puerum scire omnes testabuntur.

Quam vero egregium est item Paradoxum I I. *Apostolos non fuisse Idiotas, sed Philosophicos, Dialetticos, Philologicos, Historicos egregie imburos?* Scilicet ediderunt egregia singulorum specimina, que Voetium aliquando studiosis proponentem miratura est inventus, sed cum Scripturam ipsam legent, invenient, eos omnem mundi erudititionem pro stercoribus duxisse, sola Scientia Iesu Christi contentos, etiam ipsum Paulum in humanis alioqui litteris eruditissimum: ceteros vero etiam disertè iu Scriptura ipsa idiotas nominari Actor. c. 4. v. 13. nisi forte existimat paradoxum hoc caput, postidea Apostolos tan-

tum otii nactos esse à rebus Ecclesiasticis, ut vacaverit historias legere, quibus etiam egregie supra alios imbuenterunt, ad tradendam & tuendam Religionem, quasi cum Spiritum sanctum haberent, qui ipsos duceret in omnem veritatem, insuper opus habuissent titulis humanæ eruditionis. Liquet hæc esse falsa.

Ex quibus tamen verum colligit Paradoxo III. hoc habet commune cum Aristotele, qui & ipse ex falsis verum concludit, scilicet Angelos ex motu orbium coelestium. Quid autem concludit Voetius? *Pecundum ergo vox est, non hominum, eruditos omnes à ministerio verbi arcendos exemplo scilicet Apostolico.* Quoniam ipse sibi eruditorum alpha esse videtur, ideo communem ipsorum injuriam singulari quoque vehementia, & convitio proscindit: parum Christianè Matth. 5. cum multi tales potius sublevatione digni sint quam odio: quos Voetius illa convitiandi præcisitate in opinione ea, quam minuere debebat, magis etiam confirmat.

Sequuntur debinc adhuc multa Corollaria, per octo titulos digesta, in quibus eti nonnulla insunt jure annotanda, singulis tamen non immorabor, excepto uno, quod nimis horribile est, scilicet Genealogico-Theologicum II. cum proponit disquirendum, *Quanto cognationis gradu nos nunc Adamum attingamus.* Hoc existimat Voetius ex Genealogia petitum, esse Theologo dignum: talis igitur est ipsius Theologia, quæ hujusmodi speculationibus ad gloriam juventutem invitabit: quasi quæ in Scriptura habentur sint nimis vulgata, sed in his exerceri oporteat, vel invito Paulo, qui scriptum reliquit I. Tim. 1. non esse attendendum fabulis, & genealogiis infinitis, quæ potius quæstiones præbent, quam ædificationem Dei, quæ est per fidem. Evidem credo quos taxat Apostolus occupatos fuisse in Genealogiis Scripturæ ipsius, quorum tamen studium taxat, quia ædificationem Deo placentem per fidem non promoveant: sed Voetii Corollarium invitat ad vanissimam omnium Genealogiarum, quas quisquam mortalium ex cogitare possit. Nec vero unum tantum est illud axioma, quo suam stultitiam patefecit: sed videtur Dominus, inspecto cordium, hunc hominem in exemplum omnibus dementasse, & stultitiam ejus hypocritico pallio teatam omnibus aperuisse, ne quisquam miretur, Religionis veræ esse hostem, qui tantus sit amator vanitatis. Agnosco Dei iudicium in eum, qui per confidentiam versutiæ & impudentiæ suæ veram Dei Religionem ipsam per se, omnibus convitiis, simul ac semel, supra

alios omnes, proscindere & proculcare molitus est. Hic ille est qui furiosas illis exprobationes indiget, qui contraria dogmata, vel impri-  
mis ad pietatem & consolationem requiri contendit, qui perfectionem Ecclesiae in odio pacis constituit, qui nihil melius dici jactat, quam ea quae Dei testimonii maxime repugnant, qui fidem vel per malam con-  
scientiam non minui deblaterat, qui Dei cogitationibus modum præ-  
scribit, ut suis somniis fidem sceneretur, qui peccatorum omnium ori-  
ginem in divino decreto collocat, qui denique inquis præjudiciis ob-  
justum silentium se pro virili gravaturum esse Dei veritatem palam te-  
statur: quae omnia facit prætextu puritatis à præjudicio omni, & ab  
omni subjectione humanorum scriptorum, specie libertatis propheta-  
ndi & conscientiarum concedendæ, disciplina Ecclesiastica resti-  
tuendæ, præcitatissimis in cultu divino, in moribus, in conversatione; pre-  
cum ac gemitu inenarrabilium fundendorum in omni actione, sin-  
gularis cuiusdam sinceritatis ac simplicitatis Christianæ, vitæ gymnasti-  
cæ, Zelosæ, asceticæ, spiritualis, devotæ, mysticæ, ac tantum non divi-  
næ. Tantam hypocrisim & tam inusitatam divina justitia omnium oculis ita retexit, ut nisi quidem in eum coram omnibus 1. Tim. 5. v. 20.  
Censura Ecclesiastica stringatur, fama cum veritate publicatura sit,  
cum dedecore ipsius Illustris Scholæ ad quam est vocatus, in ea Scho-  
la cum impietate ipsa, omnis generis vanitates publice ad ingeniorum  
subtilitatem acuendam defendi. Nam quid aliud est, quam impietas, si  
fides ipsa per quævis peccata, quantumvis horribilia, in quæ fidelis ho-  
mo prolabatur, non modo non tollitur, sed nec minuitur? Quæso vos  
Pastores totius Ultrajeætinæ Provinciæ, quid futurum est Ecclesiis ve-  
stris, si speratis ut Novitii hujus Professoris discipuli, quos in vestras  
successionis spem alitis, hæc ipsa in vestras Cathedras sunt illaturi? qua-  
ratione docebunt populum orare ante explicationem Catecheses  
Domine adauge nobis fidem, qui hoc ipsum moliuntur persuadere,  
eam nulla ratione posse minui? tum quo successu pietatem promove-  
bunt, qui sunt in vulgo hoc ipsum sparsum, quævis etiam vastatæ con-  
scientiæ crimina non modo cum fide consistere, sed cum summa quo-  
que fidei, ut quæ nihil imminuat, perfectione? Taceo & alia & plu-  
rima dogmata, quæ necesse est (testor vestram conscientiam) eodem  
impietatis relabi, si ea tractentur immodestia & hyperbolica audacia,  
quam Voetius præ se fert sese animis discipulorum instillaturum esse.  
Vanæ autem ab eo propositas quæstiones si enumerem, dicam ex ani-  
mo,

mo, necesse erit majorem Corollariorum partem hic recensare. Quid enim Quodlibeta, quid Paradoxa omnia sibi volunt? præsertim talia, An repetitio & reciprocatio in precibus sit Battologia. An suggestiones carnis & Satana numero sint distincte. An peccata remitti possint sine hac aut illa respicientia. An exordium Oratorium sit pars concionis. An ignis, qui perdidit Sodomam, fuerit prester. An Apostoli fuerint idiotæ. An subtilissima hypocrisis, an vero amabilis insania, sera Corybantiasmus egerit D. Franciscum. An crassam, an subtilem spirer hypocrisine epigraphe Cardinalis Bellarmini. Quomodo fera animalia in transmarina pervenerint. Quoto cognitionis gradu nos Adamum nunc attingamus. Tum quid aliud, quam inutilem vanitatem spirant haec Corollaria. Aristotelem quodam loco ex falsis verum colligere. Non constare an quidam Franciscus Spirae peccaverit in Spiritum sanctum. Musicam Organicam nec partem, nec appendicem esse publici cultus. Propter opera vere Christiana atque honesta olim jactatum fuisse dieterium, Bonus Iurista, malus Christianus. Si quis neget Iohannem Boerum parasitum esse, relinqu tamen, cum nimis simplicem esse Politicum. Hoplatriam sive unguentum armarium nullum habere fundamentum. Leprosis mendicatum panem non prestare levamen. Formam seu mentem & rationem humanam inditam non fuisse Africam Bileansi. Nec formam rationalem à Nebucadnezare fuisse ablamat. Disputationem Bellaquaam Religioni Reformata non prejudicare, ac ne quidem ipsi Plebæo. Plurimas explicationes Geographicae ad cap. Genes. 10. incertas esse, quarum tamen nullas ipse designat. Mare esse altius terra terram ve mari innatare, ex Scriptura non probari. Non recte Latinum esse, Talibus hostiis promeretur Deus. Jos. 5. v. 1. 2. proprie & concinne verti cultri Petra seu cultri petrini. Summos Pontifices sapientie oscitant & indocte adhibere sacras Scripturas. Psalmorum translationem Arabicam Vœtio suspicionem aut scrupulum, quem ipse nescit, injicere. prætero & alia diversa, quæ sunt his ipsis non minus vana: si unum illud excipias, in quo ipsa Vanitas suum thronum fixit, Quoto cognitionis gradu Adamum nunc attingamus. In hunc igitur finem erecta est Illustris Schola Ultrajectina, ut his exordiis iniciaretur: ut in talibus nugis concessum à Deo, & à DD. Ordinibus destinatum publico sumptu Theologici studii spatium juventus collocaret? Quid de reliquis corollaris dicam? in quibus, et si nonnulla, quanquam pauca admodum, utilia sive considerata digna insunt, omnia

tamen apparet ad ambitionem ab auctore per inauditos eosque numerosos titulos esse digesta : tum ita tractata ut nusquam non eruditio-  
nis specimina sit conatus intrudere, quo cuivis constet ex unis The-  
sisbus Voetium versatum esse , & in plurimis linguis, & in plurimis li-  
bris, qui sint minime vulgares. in quibus omnibus tam avide,tamque  
tenaciter arripit cujusvis , etiam in rebus ad ipsius Professionem mini-  
me pertinentibus , inquit & immisericorditer carpendi occasionem,  
ut sincere existimat (quod judico mecum itidem existimaturos esse  
plurimos ipsorum quoque Contra-Remonstrantium) si quis ex pro-  
fesso vellet sub hypocritico velamine eruditionem suam unis Thesibus  
ostentare , eum vix excogitaturum esse tot modos , quot in hac sua  
Disputatione Inaugurali Voetius exprompsit. Habet ergo mercedem  
suam ab hominibus : Vocetur sane per omnem vitam Rabbi Gilber-  
tus Voetius: nam hoc unum affectavit. Quod,nequis judicet per con-  
tentionem aut per invidiam dici , paulo magis adhuc planum faciam,  
precatus ei mentem posthac meliorem. Superbiam esse sub humilita-  
tis specie, ex eo constat,quod ipsa cuius umbram sibi vanam depingit  
sanctitas in convitio sita est,cum scribit (*II. Clase Prejudic. assert. 3.*)  
quod Reformatorum sanctitas adversariis omnibus ~~impeditur~~ ~~negatur~~  
male precatur : ut videoas, quis sit fructus, quem Voetius ipse è sua san-  
ctitate proferre meditatur ; non aliis , quam sapientiae illius terrenæ,  
animalis, dæmoniacæ, invidia nempe, irritatio,feditio, & omne opus  
pravum : quippe cui fordet illa superna sapientia, primum quidem ca-  
sta, deinde pacifica,moderata, tractabilis,plena misericordia, & fructi-  
bus bonis, absque dijudicatione, absque simulatione. Cum ut videa-  
mus hominis Religionem esse vanam,quantumvis Religiosum se vide-  
ri velit, nec linguam frænare curat contra D.Iacobi præceptum : sed  
si quis imprudentius illi ipsi labi videtur , qui non sit de suo gre-  
ge , mox ei perstringitur tanquam furiosus , (*I. Clase prejud. af-  
fert.V.*) execratione infectandus , (*Coroll.Practic.thes. VI.*) injuriis  
in Deum & veritatem ejus , (*Coroll.Philos.Theol. i.*) pecus,non ho-  
mo; (*ibid. Parad. 3.*) Denique etsi non diserte,tamen satis evidenter,  
omnes quoque suæ Religionis vel primarios antistites tanquam pueros  
præ se contemnit. Non anxie conquerram , ut id probem , si quid illi  
hinc inde per incogitantiam fortasse elapsum est , temeraria quadam  
ambitione : sed ipsam Mantissam intelligo tum harum thesum , tum  
imprimis iterata illius ad disputationem syllogisticam in forma pro-  
ocationis.

cationis. In utraque nihil aliud, quam sui ipsius agit praconem. *Ubi bonum, inquit, litterarum & artium instauratio, instar Phosphori, lucem Reformata, & renascentis Religionis, atque Ecclesiae processit; ita earundem ignorantia & contemptus labentis, & ad interitum vergentis Religionis, ac pietatis hand dubium semper sit nobis prognosticum.* Hoc aculeo infixo a thesibus discedit, ut concludat Lector tacitus cum animo suo: Ergo Voetio plurimum debet Religio, qui eruditione tantum inter alios omnes caput extollit, *Quantum lenta solent intet viburna cupressi.* Hæc adhuc tolerari possunt: sed altera illa mantissa nimium putida est; ubi postquam plenis buccis, superbius quam quisquam unquam, Remonstrantes in arenam syllogistico-formalem, sub gravi communicatione, provocaslet; adduntar pro mantissa hæc Tertulliani verba: *In pugna pugilum, & gladiatorum, plerumq; non quia fortis est, vincit quis, aut quia non potest vinci; sed quoniam ille, qui vietus est, nullis viribus fuit: adeo idem ille viator bene valenti postea comparatus, etiam superatus recedat.* Non aliter hereses de quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes si in bene valentem fidem incurvant. Quæ omnia si ad Remonstrantes provocatos, & Voetium provocantem applicentur, quo applicari debent; nihil aliud significant, nisi eos in pugna quidem adversus plurimos hactenus Contraremonstrantes fuisse victores, quia nullis viribus illi fuerunt, five Cenforens Academici, five minorum gentium alii patrioni, (ob hoc testimonium primo gratiam habemus) sed tamen eosdem, si D. Gisbertum Voetium aggrediantur, quamvis primus congressus non satis ex voto successit, secundo, eoque syllogistico in forma mox esse profligandos, & proterendos. Quid de se, quid de cæteris sentiat nimis est aperatum: scilicet, cæteros quidem causam habuisse bonam, & Deo fortasse confessos, tamen quoniam vires defuerunt superatos abiisse: cuius periculi nihil sibi immineat, alia sibi esse præsidia, animum se invictum gerere, quo uti per hyperbolas longe extra communes terminos procedit, ita & robur, & strophas se habere, quibus illi desstituti, eoque infeliciter superati fuerint. Antequam illa iterata provocatio ad manus meas pervenisset, jam tum videbam, hominem præ eruditione insanire, ut vix illum huic examini titulum aptiorem excogitare possem, quam si inscriberetur Gisberti Vaetii Corybantiasmus, five amabilis infania: quem tamen ei titulum eondonavi, ne ex amabili fieret tristis. Non dubito quin, cum hæc leget, sit indignaturus se per ludibrium

Francisco

Francisco Assisio comparari , cui ipse in suis Corollaris amabilem infaniam sive Corybantiasum adscriperit : sed oratum volo, ne suspicione temere indulget : sunt majores infani, sunt minores: ego illi maiorem nolo tribuere , quam viri docti , hoc scripto lecto & bene perpenso , illi sunt adjudicaturi . Tanta certe fuit , ut eum impulerit in omnia extrema & it adeo absurdum ac multa Quodlibeta , & Paradoxa, ut si singula enucleare velim, pretium temporis me pro nihilo ducere oporteat. quare sit hic Corybantiasmi sive amabilis infanæ D. Gilberti Voetii, Novitii Theologiæ Professoris, finis : unum tantum addo verbum;

Quid feret hic tanto dignum promissor hiatu ?  
ne silentium ejus Remonstrantium Ecclesiæ, aliquanto justius, in lucro & triumpho sua Veritatis interpretentur , & hic homo, ejus antagonistæ, in manifestam desperatæ causæ confessionem.

## COROLLARIA THEOLOGICA.

- 1 **A**N sua Voetii Religio quoad articulos controversos cum Remonstrantibus sit antiqua. Neg.
- 2 An proprie sit Catholica ex veritate & antiquorum sensu. Vtrumque neg.
- 3 An in eadem Disciplina Ecclesiastica sit restituta. Neg.
- 4 An perniciosius quicquam esse possit inter Christianos, quam pacem inter diversas professiones nec moliri, nec probare, nec admittere. Neg.
- 5 An ulla ratione magis stabiliri possit Antichristi potentia , quam hac ipsa præcitatæ. Neg.
- 6 An impossibilis esset omnis quarundam sectarum conciliatio. Neg.
- 7 An quicquam pejus dici possit , quam illa Catechetica *Natura propensus &c.* si rigide urgeantur. Neg.
- 8 An Iudæorum conversio adhuc futura ex Scriptura solide probari possit. Neg.
- 9 An Agriculturæ sit major opportunitas ad pietatem , quam aliarum vocationum. Neg.
- 10 An ulla peccata remitti possint sine resipiscencia. Neg.
- 11 An pii omnes sint longævi. Neg.

- 12 An disputare possint Theologi, Quanto cognitionis gradu nos  
nunc Adamum attingamus, nec tamen directè contravenire  
præcepto Apostoli 1. Tim. 1. & alibi. Neg.
- 13 An nomen *Iesu* nulla alia forma in V. Testamento legatur, quam  
exacte hoc ipso vocabulo *Iehoschua*. Neg.
- 14 An verisimile sit oracula Sibyllina apud Patres omnia esse sup-  
posititia. Neg.
- 15 An ea omnia supposititia esse dicat Casaubonus Neg.
- 16 An praetextu tituli Politico-Theologici, Philosophico-Theolo-  
gici, Historico-Theologici, Chronologico-Theologici &c.  
Theologum deceat quidvis tractandum sumere. Neg.
- 17 An ei, si id faciat, magis sit credendum, quam cuique in sua ar-  
te. Neg.
- 18 An Contra-Remonstrantes, qui simpliciores saltem Remon-  
strantium adhuc pro Christianis habent ex judicio caritatis,  
possint excusari à vere & propriè dicta Christianorum perse-  
cutione approbata, si non testentur se dolere, quoties eosdem  
editis & exsecutionibus vident gravari. Neg.
- 19 An Remonstrantes salva conscientia possint habere Contra-Re-  
monstrantes omnes pro non Christianis. Neg.
- 20 An propterea se possint eorum cœtibus adjungere. Neg.
- 21 An Contra-Remonstrantes, si consequenter loqui velint, docere  
possint, Hominem ex fide justificari. Neg.
- 22 An ex Remonstrantium doctrina evidenter & solide deducatur,  
Hominem ex fide justificari. Aff.

### COROLLARIA VOETIANA.

- 1 **A**N qui Theses inaugurales sic omnibus suis plumis ador-  
nat, quemadmodum Voetius fecit, palam peccet con-  
tra eam humilitatem, quam Thomas de Kempis in ho-  
minali spirituali depingit. Affir.
- 2 An, si quis publicè ostentationem & vanitatem Voetii redar-  
guat, quia nomen suum nō adscribit, nec gloriam inde ve-  
natur, ut quondam præstantissimi Reformatores solebant,  
ideo pro larvato lucifuga debent contemni. Neg.

- 3 An qui Theologiae Voetianæ vanitatē palam facit, idcirco peristrigi debeat, quod in solida Theologia parum proficeret, nihilq; præterea addiscere, forte nec certi aliquid statuere cupiat.  
Neg.
- 4 An qui tam multas vanas quæstiones in medium profert, jure suspectus habeatur, quod ipse solidam Theologiam ignoret.  
Affirm.

**Probabile I.** Mox ubi Voetius hoc examen perlegerit, poenitentia ducendum esse, quod se tam turpiter dederit.

**Probabile II.** Et Politicos & Ecclesiasticos viros ei mandaturos, ne posthac tales Theses cudadat.

*Qui possitis credere vos, qui & alii ab aliis gloriam adcipiantis, neque gloria, qua à solo Deo est, studeatis?  
Ioan. 5. 44.*

F I N I S.

